

PALAESTRA LATINA



ANN. XLI (Fasc. I) — N. 213
M. MARTIO — A. MCMLXXI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.

Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.

Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XLI (Fasc. I) — N. 213

M. MARTIO — A. MCMLXXI

L. H SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Apophthegmata</i>	1
J. MARINELLI, <i>Tria Pauli VI itinera memoranda</i>	17
J. M. MIR, C. M. F., <i>Congressus Bucurestiensis de humanitate et latinitate</i>	25
D. LEPOUTRE, <i>Horis subsicivis, De numero primi hominis</i>	33
BIBLIOGRAPHIA, J. Jiménez Delgado, C. M. F. - M. Molina, C. M. F.	37

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XLI. (Fasc. I — N. 213)

M. MARTIO

A. MCMLXXI

APOPTHHEGMATA

Magno sane studiosorum omnium adjumento saepe olim in lucem editum est Apophthegmatum opus. Abunde enim legentibus prehibebantur cum profanorum tum sacrorum Apophthegmatum series, ut aliqua verae pietatis recordatione inter legendum, ab Ethnicorum schola sane quidem erudita, profana tamen, traductus lector, ad caelestium rerum studium et amorem excitaretur. Non tamen negandum eorum pleraque alia atque sententias videri; quae tamen, cum magna ex parte a christianis viris, aut dignitate aut doctrina morumve sanctitate conspicuis, et tanquam triariis post illos profanos ut plurimum in acie collocatis, profecta sint, poterant legentium et audientium animos ad frugem sua vi et auctoritate permovere.

1. QUID SIBI VELIT NOMEN «APOPTHHEGMA»

Si fontem graecum attendas, scilicet *ἀπο* et *φθέγμα*, idem exprimit ac «dictum insigne» a quodam viro eximio prolatum. Hispanica nostra Academia ipsum definit «sententiam brevem simul et acutam», quae affinis est tum aphorismo, tum item paroemiae, tum etiam proverbio vel adagio.

Porro, exstant varia «corpora» sive collectiones celeberrimae Apophthegmatum, quas inter commemorare in primis libet Collectanea illa Plutarchi, deinde Diogenis Laertii, item Sanctorum Pa-

trum in Aegypto degentium, et inter recentiora, opus Erasmi Rothodami, Aeliani, aliaque.

His pagellis pauca tantum in medium proferam, nam liquido constat nullo modo fieri potuisse, ut Apophthegmata plurima, vel praestantissima quaeque, proferrem.

Sunt igitur apophthegmata cum adagiis ipsis comparanda, cum non parum conveniant, immo affinitatem maximam inter se habeant. Nam cum sit adagium, teste Varrone, quasi «circumagium» et celebre dictum, per ora hominum obambulans, et «scita quapiam novitate insigne», ut inquit Erasmus, nulli dubium est quin et apophthegma sit celebre dictum, scita quapiam novitate insigne, quamvis non sit vulgo jactatum, nec passim per ora hominum obambulet, ut adagium.

Praeterea, inter alia quae adagiis confinia ponuntur, etiam Erasmo teste, sunt Apophthegmata, quae nec alio modo differunt ab adagiis quam sententiae. Inter sententiam autem et adagium seu proverbium —quod graece «paroemia» dicitur— hoc est discriminis, quod utrumque cum altero conjungi potest, et utrumque rursus ab altero sejungi, non aliter, ut sic loquar, quam album ab homine. Et veluti non omne album est homo, nec etiam homo est omne quod album est, tamen nihil vetat id album esse, quod homo est, ita etiam non raro fit ut sententia paroemiam seu proverbium complectatur. Ita ratiocinatur Conradus Lycosthene in opere «Apophthegmata», quod inscribitur Lugduni edito, anno MDCXIII.

Non omne tamen quod paroemia est, idem est atque sententia, nec e contra. Exempli gratia, sententia est haec, non adagium, nec proverbium: «Pascitur in vivis livor, post fata quiescit». Proverbium vero est hoc, et non sententia: «Ego in portu navigo». Sententia vero simul et proverbium: «Ne puero gladium».

Aliqua sunt apophthegmata, quae simul etiam sunt proverbia, ut est responsum Simonidis ad quendam in convivio tacentem. «Nam —inquit— si quidem stultus es, sapientem rem facis; si vero sapiens, stultam». Apophthegma vero est, non autem proverbium, si dicas: «Oportet Caesaris uxorem, non solum crimine, verum etiam criminis suspicione vacare.» Quia igitur quaedam sunt ex adagiis, ex quibus confici possunt apophthegmata, quae transire possunt in adagia, non inutile est horum inter se affinitatem demonstrasse. Nam hinc constat apophthegmata ad omnia ea utilia fere esse, ad quae sunt et adagia; et ubi aliquid inter hujusmodi apophthegmata desideratur, id posse ab adagiis facile mutuari; pro apophthegmate enim ex adagiis usurpari potest, si quis respondeat injusta petenti, se «usque ad aras esse amicum.»

Itaque etiam multa hac ratione formari possunt, et passim ex omnibus adagiis possunt apophthegmata commode formari, ubi bre-

vitae simul adsit, et sententia, et quod scite dici possit. Nam scitum appellamus quod antiquitate pariter et eruditione commendatur.

En exempla nonnulla apophthegmatum:

ZENO dicebat plerosque philosophos in multis sapere, sed in fortuitis vulgaribusque rebus esse fere semper imperitos (DIOG. LAERT. 7,1).

SOCRATES graviter agebat, nec a mortuo petendum colloquium, nec ab avaro beneficium; uterque enim dari rite non poterant (STOB. *De Injustitia*, 23,6).

AGESILAUS, cum sciscitaretur quo pacto posset quis tuto imperare nulla stipatus satellitio, respondit: «Si sic imperet suis, quemadmodum pater imperat liberis» (PLUT. *in Lacon*, 6,3).

CAROLUS V Caesar, bello africano Algeriensi non ex animi sententia successurum proelium cum prevederet, malle se dixit unum Christianum servare, quam mille Mauros, Turcas, Poesve occidere (Guil. Zenocarus in ejus vita, 3,14).

2. APOPTHHEGMATUM PROPRIUM QUID

Nunc videamus quid sit apophthegmatum proprium et unde id eis contingat. Ipsius enim tradita definitione et similitudine atque differentia ab adagiis, si quid proprium est apophthegmatis, in memoriam rursus revocabimus, et facile etiam inde apparebit quo modo et ad quot utilis sit apophthegmatum cognitio.

Apophthegmatis proprium est quod est sententiae proprium, hoc est, ut eruditione et antiquitate commendetur, sitque scita quapiam novitate —ut diximus— insigne et celebratum, quod etiam maxime adagio convenit; immo ex hoc fit, ut ad quaecumque utilia sint proverbia ad eadem conferant et apophthegmata.

Perducit igitur apophthegmatum cognitio cum ad alia permulta, tum potissimum ad *philosophiam*, ad *persuadendum*, ad *decus et ad gratiam orationis*, atque etiam ad intellegendos optimos quosque auctores. De philosophia, exempli gratia, haec habe:

DIOGENES percontanti quid lucri caperet ex philosophia: Ut nihil, inquit, aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus sum. (DIOG. LAERT. 6,2).

ZENO dicebat philosopho nulla re opus esse. Eoque pecuniam deposuit apud trapezitam hac condicione, ut si liberi essent idiotae, traderet eam illis; sin philosophi, nummos distribueret in plebem, quod indoctis opus esset pecunia; philosopho nec opus, nec utilis (DIOG. LAERT. 6,5).

ARISTOTELES interroganti quid lucri cepisset ex philosophia: Ut ea, inquit, nullo imperante, faciam quae vulgus facit metu legum. Idiota a furto abstinet, quia lex minatur poenam; philosophus abstinet, quia per se turpe est, etiamsi liceat impune (DIOG. LAERT. 5,1).

Facere docet Philosophia, non dicere; et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, nec ab oratione vita dissentiat: ut ipsa inter se vita unius sine omnium actionum dissentione coloris sit (SEN. *Epist.* 20,13).

De persuasione, inter alia, haec tantum apponam:

BION dicebat superbiam studiosorum esse profectus obstaculum. Indocilis enim est qui inani persuasione eruditionis delusus, mavult doctus videri quam esse. (DIOG. LAERT. 4,7).

SOCRATES qui per vim, inquit, coacti sunt, libertate ceu magna re privati, odio prosequuntur illos qui coegerunt; qui vero suadela inducti sunt, ceu cum gratia invitati amant (XENOPH. *Comment.* 1,5).

Cum CRATES, apprehenso Zenonis pallio, eum a Stilponte retrahere niteretur: Commodissime, inquit, o Crates, philosophum auribus teneas; nam si per vim egeris, corpus erit apud te, animus apud Stilpontem. (DIOG. LAERT. 6,6).

De orationis gratia et decore haec sufficient:

DIOGENES sermonem ad gratiam instructum, melleum laqueum esse dicebat. (DIOG. LAERT. 6,2).

DEMETRIUS PALHERIUS ajebat quantum in bello valeret ferrum, tantum in Republica valere orationem. Illic enim res geritur viribus, hic persuasione. (DIOG. LAERT. 5,5).

ZENO asserebat formam esse vocis florem, nam loquentis orationem forma commendat; et rursus oratio composita gratiam addit formae. (DIOG. LAERT. 7,1).

CICERO cuidam interroganti quamnam ex Demosthenis orationibus optimam judicaret, respondit: Longissimam. (PLUT. *in Cic.* 3,2).

3. PHILOSOPHIAE THESAURI IN APOPTHHEGMATIS INCLUSI

Et, ut dixi, apophthegma conducit ad philosophiae scientiam comparandam: quoniam scite dictis quicquid est philosophiae, scientiae et sapientiaeque in homine facile comprehenditur. Non segniter ergo nec oscitanter, sed pressius et penitius inspicienda erunt et relegenda haec scite dicta quae optima quaeque philosophorum dogmata in unum conflant et uno intuitu, ut ita dicam, legentibus praebent. Bene Diogenes sapienti nihil deesse colligebat hoc syllogismo: «Deorum omnia sunt, deorum autem amici sunt sapientes, et amicorum communia sunt omnia, sapientium igitur sunt omnia». Sed eodem syllogismo rejici poterat petens aliquid: «Cur petis habens omnia? At respondisset: Non peto, ser repeto» (Cf. DIOG. LAERT. 6,2). Idem Diogenes ajebat faciles esse Deos ad donandam hominibus vitam; ceterum hanc ignorari ab his qui quaerunt unguenta et delicias; his enim qui fruuntur credunt se vivere, cum veram vitam, tranquillam et suavem una praestet sapientia. (*Ibid.*).

Haec autem sapientia idem est ac philosophia, ut ait Cicero, de qua multum in apophthegmatis agitur. Exemplo sint haec:

BIAS eos qui inani sapientiae vacant, similes esse noctuae oculis autumabat. Hujus enim oculi noctu quidem valent; sole autem splendente, caecutiunt. Et illorum mens acutissima quidem est in vanitate contemplanda; ad veri autem luminis objectum motum obscuratur. (STOB. *Serm.* 3,2).

ALEXANDER videns Diogenem in dolio decumbentem: «O vas, ait, sapientia refertum». At philosophus assurgens: «Regum, inquit, omnium maxime, unam abs te fortunae guttam expeto, ut vel dolium hoc, quod vocas sapientiae, illaesum mihi permaneat, sine quo parum feliciter cum sapientia agitur». (STOB. et PLUT. *An bene lateat Sapiens*).

ARISTOTELES persuasum habebat sapientem sibi sufficere, eo quod omnia quae sunt aliorum, sunt et hujus qui cum omnibus habet amicitiam, et amicitia facit omnia communia. (DIOG. LAERT. 5,1).

PYTHAGOREI existimabant Geometriam, Arithmeticam, reliquaue in speculatione sita, et scientias esse et circa «entia» versari, at sapientia circa genera «entium». Etenim occupata est sapientia circa omnia quae sunt: ceu visus circa omnia visibilia et auditus circa omnia audibilia (Cf. STOB. *Serm. de Virtute*, 2,3).

Ceterum, Seneca (*Epist.* 9,14) tradit Chrysippi sententiam, stoicam certe, sed sapientiae plenam. Aiebat ille sapientem nulla re indigere, et tamen multis illis rebus opus esse. Contra, stulto nulla re opus esse; nulla enim re scit uti, sed omnibus eget. Sapienti et manibus et oculis et multis ad cottidianum usum necessariis opus est, sed eget nulla re. Egere enim necessitatis est. Nihil autem necessesse sapienti est.

Aliquando tamen sapiens sapientia quidem eget. Alexander, exempli gratia, in Callisthenem nequaquam sese accomodantem aulae regiae moribus, sed et dictis et gestu prae se referentem nihil sibi placere, pronuntiavit hunc versiculum: «Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil».

4. IGNICULI INGENTIS SAPIENTIAE

Jam vero, subsunt in hisce scite dictis et sententiis veluti quidam igniculi ingentis sapientiae. Suntque hujusmodi apophthegmata simillima sacrorum mysteriis, ut veteres aiebant, in quibus quaepiam res ac divinae minutulis, et in speciem pene ridiculis caerimoniis significari solent. His enim brevibus dictis per involucrum quoddam eadem adumbrantur, quae philosophiae principes tot voluminibus tradiderunt; immo, tantum honoris habitum est eis olim, ut non ab homine projecta, sed caelitus delapsa, viderentur. Aliqua inter paene infinita apponere non gravabor; et quidem de prudentia et de prudenter dictis:

PERIANDER, quaerenti quid in minimo maximum esset, respondit: «Prudentes cogitationes animae in corpore humano». (STOB. *Serm.* 3,4).

ANTHISTENES dicere solebat, tutissimum esse murum prudentiam, quod is nec collabatur, nec proditur. Nulla quippe moenia sunt tam munita, quin machinis aut suffossionibus, aut vallorum prodicione capiantur. Prudentis autem decreta sunt inexpugnabilia. (DIOG. LAERT. 6,1).

SCIPIO MINOR, juvenis etiamnum, tantam habebat opinionem fortitudinis et prudentiae, ut Cato senior interrogatus de his qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat et Scipio junior, homerico versu responderit: «Ille sapit solus, volitant alii velut umbrae». (PLUT. *in Apoph.* 5,3).

Non frustra Bion existimabat prudentiam tanto ceteris virtutibus antecellere, quanto ceteris sensibus praestaret visus. Nam oculi prae-lucent toti corpori, nec ulla est virtus absque prudentia. Nam quomodo justus reddet cuique suum, nisi prudentia commonstret quid cui debeatur? (Cf. DIOG. LAERT. 4,7). Quin etiam, quod apud nos passim dicitur, jam ab Isocrate asserebatur, cum ex hominum vita colligeret «virum frugi et prudentem debere praeteritorum meminisse; agere praesentia, futura cavere» (STOB. *Serm.* 1,7).

Ut paulo ante dixi, haec scite dicta non ab homine profecta, sed caelitus delapsa videri; idque nihil habet miri, cum e caelo, inquit Juvenalis, descendit illud «Nosce teipsum». Et perinde etiam pro foribus templorum, veluti digna diis, inscribebantur, passimque columnis et marmoribus insculpta videbantur tanquam immortalis digna memoria. Sed hoc adhuc longe magis manifestum est, si quis memoria repetat Socraticum illud, quod in Apologia Socratis responsum habetur, ubi plurimis rationibus Socrates docet, «magis oboediendum esse Deo quam hominibus». Hoc enim dogmate nullum unquam proditum est a philosophis vel ad recte instituendam vitam salubrius, vel christianae religioni nostrae vicinius; et nihilominus rem tantam breve hoc apophthegma paucis complectitur. Re quidem vera, felicitatis humanae summa eo comprehensa est. Immo, ut quidem affirmavit, hoc si mortalibus persuaderi queat, illico facessent e medio bellum, invidia, fraus, atque universum malorum agmen. Ex hoc igitur uno solo apophthegmate satis patet quantum philosophiae brevis sententia nobis aperiat.

5. APOPTHHEGMATA DE COGNITIONE SUI, QUAE EST PHILOSOPHIAE SUMMA

Sed quae ratiocinando diximus, in ipsis auctorum sententiis videamus. Sunt paene innumera apophthegmata de cognitione sui. «Difficile namque est se nosse, sed beatum. Et haec est secundum naturam vita.» Hoc est maximum sed difficillimum, nam «minime sibi quisque notus est et difficillime de se quisque judicare et sentire potest»; aliena enim rectius perspicimus quam nostra, et sibi quisque adulator est. Jam exempla dabo:

DEMONAX, interrogatus quando coepisset philosophari: «tum dixit cum cognoscere meipsum incoepi». (STOB. *Serm.* 21,4).

BIAS, ut homines ad sui cognitionem duceret, jubebat in speculo unumquemque suas actiones contemplari, ut honestas magis ornaret, turpes vero emendaret. (STOB. *Ibid.*).

Quod idem est atque illud Senecae, qui asserit inventa esse specula, ut homo se nosceret. «Multa, inquit, ex hoc consecuta: primo sui notitia, deinde et ad quaedam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset; juvenis, ut flore aetatis admoneretur, illud tempus esse discendi et audendi fortia; senex, ut indecora canis deponeret et de morte aliquid cogitaret». (*Nat. Q.* 1,17).

Ad rem autem redeuntes, en alia apophthegmata philosophiae plena:

DIOGENES interrogatus quonam modo quis suimet praeceptor fieri posset, respondit: «si seipsum eis, quibus alios increpat, increpaverit». (STOB. *Serm.* 1).

CHILON volebat, nosse seipsum quemque debere. Atque idcirco Apollini aureis litteris sacratum ejus dictum fuit. Nam qui se recte nosset, animam atque corpus, ut aequum est, diligeret; neque quod uni est impartendum, alteri praeberet. Quod cum plerique perperam faciant, id nullius alterius culpa est adscribendum, nisi quod nos ipsos, id est, humanam compactionem, agnoscere nolimus. (STOB. *Ibid.* et Fulg. 4,2).

Praeterea, nosse ignarum se esse, sapientiae est; et scire se injustitiam fecisse, justitiae. Immo, is maxime se novit, qui se nihil esse putat. Exinde illud decantatissimum Heracliti, qui juvenis adhuc, omnium sapientissimus esse inde judicabatur, quod rogatus quid sciret, respondisset «sat scio quod nihil scio» (Ex Aristonymi scriptis recitat STOB. *Serm.* 21). Itidem Socrates dicebat «sese nihil scire praeter hoc unicum, quod nihil sciret, reliquos vero ne hoc quidem scire».

Rursus, bene seipsum nosse monstravit Theocritus, nam cuidam quaerenti quare libros non scriberet, respondit: «Quoniam, ut libet, non possum; ut vero possum, non libet». (STOB. *Serm.* 21 ex Aristonymo).

6. APOPTHHEGMATA PATRUM

Licet hoc caput strictim obire teneamur, spernenda minime sunt celeberrima illa Sanctorum Patrum apophthegmata, quae vitam monasticam mirum in modum illustrant, quaeque eremitarum monachorumque conversationem in Thebaida et Aegypto transactam non parum commendant. Sunt enim tanquam egregia religiosae vitae documenta, quae ad nos usque pervenerunt, neque minus probitatis, quam eruditionis spiritalis fructum, non solum monasticae vitae mancipatis, sed laicis in saeculo degentibus praebent. Illos re vera, «quorum vita fulget in Ecclesia», tum exemplis tum scriptis suis, effigiem dixeris christianae sanctitatis quamdam efformasse. Cujusmodi apophthegmata fontem evangelicae doctrinae constituunt, quatenus «Sapientiam omnium antiquorum» exquirere videntur, et mysticae quasi corpus aliquod efficiunt. Proh dolor, haec tantum commemorare, prae angustiis spatii, mihi datum est:

Frater dixit abbati Antonio: «Ora pro me». Ait illi senex: «Nec ego tui misereor, nec Deus, nisi tu quoque operam navaveris, Deumque fueris deprecatus» (MG [= Migne Graeca] 65,80 C).

Dixit abbas Mios, ille Belei: «Oboedientia pro oboedientia est. Si quis oboedierit Deo, Deus obaudiet eum» (MG 65,301 C).

Frater rogavit abbatem Poemenem, ut traderet sibi aliquod vitae documentum. Et ait illi: «Quamdiu olla igne subjecto calefit, non potest musca, nec ullum aliud reptile, eam tangere, sed cum frigida fuerit, tunc insident ei. Pari modo monachus: quamdiu in spiritualibus actionibus permanet, non reperit inimicus quo eum dejiciat» (MG 65,349 C).

Patres volentes Macarium probare, contempserunt illum dicendo: «Cur Aethiops iste venit in medium nostri?» Ille vero audiens, tacuit. Postea ajunt ei: «Abba, nihil modo turbatus es?» Respondit: «Turbatus sum, sed non sum locutus». (MG 65,284 A).

Cuidam percontanti quisnam esset monachus, dixit abbas Joseph: «Non potes fieri monachus, nisi instar ignis totus exstiteris flammeus» (MG 65,229 C).

Abbas Besarion moriens dicebat: «Debet monachus, instar cherubim et seraphim, totus esse oculus» (MG 65,141 D).

Dixit abbas Alonius: «Nixi homi dixerit in corde suo: Ego solus et Deus sumus in mundo, requiem non obtinebit» (MG 65,113 A).

Et hujuscemodi alia, quae in «Vitis Patrum» legi possunt.

7. APOPTHHEGMATA, UT SIVE AUCTORE, OMNIUM SUNT

Sed videamus quem ad modum etiam ad persuadendum hujusmodi sententiae conducant, unica autem hac ratione, ut ceteras brevitati consulens ommittam. Hoc facile constat, quod apophthegmata sive sententiae, quae vulgo receptae sunt, hoc ipso quod incertum auctorem habent, velut omnium sunt, et vi maxima ad persuadendum gaudent. Neque enim durassent haec in aeternum —inquit Fabius— nisi vera omnibus viderentur. Sic, Pythagorei feruntur si quando quid in disputando affirmarent, cum ex iis quaereretur quare ita esset, respondere solere: «Ipse dixit». Ipse autem erat Pythagoras, Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. In apophthegmatis vero res non ita se habet, nam ratio valet sine nomine, doctrina sine auctore, sententia sine philosopho. Ipsa enim sententia per se confirmat et fulcit, castigat et monet, solatur et fovet, obsecrat et increpat..., quid amplius? apophthegma per se loquitur. Obscuratur auctor ut appareat auctoritas, et ipsa per se magis innotescat. Sed alia exempla proferam:

De pudore et verecundia:

DIOGENES adolescenti cuidam erubescenti, atque ob id perturbato: «Bono animo es, inquit, fili, istiusmodi est virtutis tinctura» (DIOG. LAERT. 6,2).

DEMETRIUS PHALERIUS admonebat adolescentes, ut domi parentes in via obvios, in solitudine revererentur seipsos. Pudor tencram aetatem optime deterret a peccando; qui nusquam non adest, si quis revereatur seipsum. (DIOG. LAERT. 5,5).

M. CATO ajebat, sibi magis placere juvenes qui rubescerent, quam qui pallescerent, quod rubor arguat probam indolem, pallor timorem (PLUT. *in Apop.* 4,13).

De vita humana:

DEMOCRITUS, vitam sine festivitatis dicebat longam esse viam sine diversoriis (STOB. *Serm.* 16,4).

Ait DEMOCRATES: «vivere impudenter, intemperanter, impie, non tam male vivere est, quam diu mori». (CAEL. RHOD. 13,25).

PLUTARCHUS asserit: non possumus dicere «vivens hoc non patiar»; possumus dicere «vivens hoc non faciam», mentiri scilicet, et similia. (*De Tranq. An.* 4,7).

SOCRATES in vita tanquam in theatro permanendum esse dicebat, quamdiu rerum et operum hujus vitae jucundum fuerit spectaculum. Addamus et illud Pythagorae: «quandiu summo rerum Domino visum fuerit, qui e statione nos in tempore evocabit.» (DIOG. LAERT. 2,6).

Philosophus quidam interrogatus qualis esset hominis vita, cum parumper se ostendisset, mox se abscondit. Quo indicare voluit, momentaneam et perbreve esse hominis vitam. (RODULF. AGRIC. *De Inventione*, 1,24).

Haec et alia multa apophthegmata auctores quidem habent, sed autorem quatenus autorem inspicere, nihil refert. Quod nostra maxime interest est ipsam inspicere sententiam, quippe quae in Universum dicta, generaliter omnes homines comprehendat, ac ubique et semper momentum habeat. Sed videamus jam quaedam sine auctore quae, ut alia apophthegmata hucusque prolata, latissime patent:

Veritas quidem amara est et ingrata stolidis; mendacium autem suave et gratum; nimirum ut illis, quibus dolent oculi, molestus est lucis aspectus, tenebrae autem visum reprimentes carae et minime molestae sunt. (CONR. LYCOSTHENE, *Apoph. De Veritate*, 684).

Philosophus quidam dicebat, magistros a discipulis magnam mercedem exigere debere. Ab ingeniosis quidem, quod multa discant; ab hebetibus, quod multum molestiae exhibeant (Idem, *De Mercede*, 455).

Quidam navigaturus in Asiam, cum navem conscendisset et a quodam interrogaretur, num metueret ne naufragio ejectus, a piscibus devoraretur: «Quid, inquit, metuam a piscibus, qui tot pisces devorarim? (Ibid. p. 237).

Cum patris mors cuidam significaretur, respondit: «Desine loqui blasphemias, nam pater meus immortalis est». (Apoph. Patrum. LYCOSTH. *De morte*, 489).

Morio quidam dicebat, in uno annulo bonos principes sculpi

omnes posse. Sentiebat nimirum, esse magnum principum et imperatorum numerum, sed in iis perpauca qui probitatem amplecterentur. (VOPISC. in *Aurelio*. LYCOSTH. *De morionibus*, 477).

Quidam Lacon claudus ad bellum proficiscens, cum ab aliis derideretur: «Non opus est, inquit, fugientibus, sed qui subsistant, et ictus hostium fortiter propellant». (PLUT. in *Lacon*, 4,3).

8. APOPTHHEGMA ALIQUANDO IDEM QUOD SENTENTIA VEL ADAGIUM CONTINET

Auctor ad Herenn. 4,17,1 dicit: «Sententia est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit». Hoc idem fere est apophthegma. Aliquando enim est tamquam sententia acuta, quae suo loco adhibita maximopere orationem. Jam vero sententiarum virtutes sunt (ut notat Heineccius, *Fundamenta stili cultioris*, p. 101): 1. acumen, 2. rotunditas, i.e. si concinna periodo conclusae sint, 3. et sapientia, ut aliquod praeceptum complectantur. Talia sunt haec apophthegmata:

Mali ideo vivunt, ut edant bibantque; boni ideo cibum sumunt ac potum, ut possint vivere (PLUT. LYCOTH. *De vita humana*, 703).

«Spes, aiebat Diogenes, primum est in vita, et item postremum» (STOB. SER. 109. LYCOSTH. *De spe*, 663).

Vitae tempus ita metiendum, quasi et diu et parum victuri simus. (Bias, apud DIOG. LAERT. 1,6).

Quis arcanum sermonem continere queat? — Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest (Aristoteles, apud LYCOSTH. *De silentio*, 652).

Thus Deo, laus vero bonis viris tribuenda est. (Socrates, apud STOB. *Serm.* 103).

Neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, nam alterum athletarum est, alterum inertium. (Plato apud LAERT. 3,4).

Qualibet terra homini sapienti pervia est, cum forti animo mundus universus patria sit. (Democritus apud STOB. *Serm.* 40).

Alia paene infinita afferre possum, sed sat est ut legentibus commonstrem interdum fere idem esse apophthegma quod sententia, immo quod adagium sit. Adagium scilicet est dictum acutum vulgari omnium sermone tritum, quod plerumque ad factum aliquod amoenum aut ritum veterem, aut simile quid respicit. Quas quidem virtutes apophthegma quam saepissime praebet.

Sed gressum facio, ut quemadmodum de graviter dictis hactenus egi, nunc de facete et urbane dictis in apophthegmatis agam.

9. APOPTHHEGMATA URBANA ET JOCOSA VEL SALSE DICTA

Genus hoc dicendi jocosum et urbanum dici non potest quanta voluptate legentes aequae ac audientes afficiat. Unde (ut ait Heineccius, *op. men.* p. 153) et a veteribus ejusmodi facetiae sales dicuntur, eo quod non minus sermonem, quam sal cibos, condiunt. Quamvis vero natura hic utramque faciat paginam, nihilque sit frigidius jocis, invita Minerva excogitatis, plures tamen fuerunt, qui totam artem jocandi praeceptis quibusdam includere ausi sint. In Apophthegmate fere omnes jocandi modos adsunt. Ridiculum vel in *verbis* est, vel in ipsa *re* seu *sententia*.

Itaque: a) *Ambiguitas*. Sic olim de servo jocatus est Nero, «solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum». (Cic. *De orat.* 2,56; cf. *De Off.* 1,29).

b) *Interpretatio nominis*: «Venio nunc ad aureum illud nomen Chrysogoni». (Cic. *Pro Sext. Rosc.* 43).

c) *Responsio ad verbum, non ad sententiam*. Sic, quaerente censore Catone: «Ex tui animi sententia tu uxorem habes? — Non hercle, inquit Nasica, ex animi mei sententia». (Cic. *De Orat.* 2,65).

Et hi quidem verborum joci sequuntur rerum vel sententiarum, ut sunt festiva narratio, amplificatio incredibilis, ironia vel dissimulatio urbana, falsa intellectio, abscondita ridiculi suspicio, salsa stultitiae reprehensio, lenta et tarda responsio et alia hujusmodi. Quae quidem omnia in apophthegmate exhibentur. Lege, quaeso, inter alia quamplurima, quae sequuntur, ut credo, praestantiora:

a) FACETE ET JOCOSE DICTA

Quidam, videns vetulam quandam nimis compe incedere: «Si, inquit, ad vivos properas, falsa es; si ad mortuos, ne cunctare». (LYCOSTH. *Apoph.* 233).

Demonax rogatus an philosophus etiam placentis vesceretur: «Quid, inquit, num putas apes stultis tantum mellificare? (Placentae melle condiebantur, saccaris usu nondum reperto). (Lucianus in vita. LYCOSTH. *Apop.* 234).

Quendam poetam jocularibus quibusdam ob edacitatem argentibus, ac sciscitantibus quidnam libentissime comederet: «Spermologos, inquit, tostos». (*Spermologus* et avem significat, et blateronem ac vaniloquum). (LYCOSTH. *Apoph.* 235).

Cleon citharoedus, cognomine bos, non recte pulsabat lyram, et voce plurimum dissonabat ab ejus fidibus. Eum cum audisset Stratonicus: «Asinus inquit, ad lyram, adagium olim fuit, nunc autem dicendum: «Bos ad lyram». (Idem. *Apoph. ibid.*).

M. Lollius videns Galbam eloquentissimum oratorem, omni corporis habitu carentem: «Proh dolor, inquit, quam male habitat Galbae ingenium». (MACROB. *Satur.* 20,6).

b) DE ANIMOSE ET ARGUTE DICTIS

Xenocrates a Dione dicteriis lacessitus: «Non sum, inquit, tibi responsurus; neque enim tragedia a comoedia taxata dignatur eam responso». (DIOG. LAERT. 4,2).

Quidam dixisse fertur Lacedaemonios non oportere percontari quot sint hostes, sed ubi sint, significans non a militum numero pendere victoriam, sed a rei gerendae celeritate (Plut. in *Apoph.* LYCOSTH. 55).

Cum Leonidae Alexandridae filio quidam dixisset: «Hostes sunt prope nos»; «Et nos, inquit, prope illos», significans ob id non minus imminere discriminis hosti, quam ipsis. (PLUT. *Apoph.* LACON. LYCOSTH. *ibid.*).

Thales, cum diceret mortem aequae salutarem esse ac vitam, audivit a quodam: «Cur igitur non moreris?» Argute respondit, «Ob hoc ipsum, quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur». (DIOG. LAERT. 1,1).

Philoxenus interrogatus quam ob causam inducere in tragoediis mulieres malas, cum Sophocles eas induceret bonas, argutissime respondit: «Quia ille, inquit, tales inducit, quales esse deberent: ego vero quales sunt». (LYCOSTH. *Apoph.* 59).

Mendicus quidam petiit aliquid a Lacone. At ille: «Si quid, inquit, dedero tibi, magis es futurus mendicus. Verum istius probrosae vitae fuit auctor, qui tibi primus dedit teque fecit inertem». (PLUT. *in Lacon.* 3).

c) DE CONVICIIS IN IPSUM AUCTOREM RETORTIS

ANACHARSIS exprobranti cuidam Attico, quod natus esset in Scythia: «Mihi, inquit, probro est patria, tu patriae». (DIOG. LAERT. 1,6).

Quidam Diogeni objiciebat quod olim falsam monetam signasset. «Fateor, inquit Diogenes, fuisse tempus quo talis eram, qualis tu nunc es: qualis autem ego nunc sum, tu profecto futurus es numquam». (DIOG. LAERT. 6,2).

CHABRIAS improbo cuidam eum multis conviciis afficienti, respondit: «Bene fecisti, quod nihil eorum quae in te insunt praetermisisti». (Lycosth. 153).

NICETES SMYRNAEUS Telonae cuidam in iudicio vehementius incandescenti dicentique: «Desine latrare in me», admodum salse respondit: «Si tu desinas mordere, nam utrumque canum est». (PHILOST. *in Sophist.* 3,2).

Sed multa de multis apud auctores sparsim invenies salse dicta, quae ibi requirere poteris, ne hic repetitio tibi nauseet, et haec commentatiuncula in immensum excrescat.

Ex hucusque dictis patuit, opinor, quanta sit apophthegmatum utilitas, nam non solum principibus et cuique privatorum exhibet admonitiones accommodatissimas, sed et agendi regulas constituit in omnibus, et dum sani sumus, et dum aegrotamus, sive etiam cum amicis, sive cum hostibus agimus, vel serio vel jocosè. Praeterea, sui officii saepius admonent iudices, milites, monarchas, nobiles, et privatos quosque torpentes excitant, languentes fovent, tristes solantur, imperitos rerum arguunt, sciolos castigant, adulescentes docent, senes fulciunt et ad metam festinantes impellunt. Studiosis insuper bonarum litterarum materiam suppeditant, qua instructi, ornate et copiose disserere queant.

At hic meminerint velim, apophthegmata, ut et proverbia et similitudines, esse instar salis et condimentorum, quorum usus non ita frequens, sed aptus esse debeat. Qua in re prudentia et exercitatione, temporis filia, opus est. Ideo Philoxenus dicebat jucundissimas esse carnes, quae carnes non sunt; et suavissimos pisces, qui pisces non sunt, quemadmodum amoenissimam esse navigationem

juxta terram et ambulationem juxta aquam, significans nimirum mediocritate omnia constare, ut ait Cicero: «Nihil est quod tam deceat, quam in omni re servare mediocritatem».

* * *

Sed jam finem facio, ac spero fore ut optimo cuique, ac praesertim humanarum litterarum ac civilis conversationis studioso homini, quam maxime haec arrideant. Res est non comperta nemini locus hosce apophthegmatum maximi esse momenti, quippe qui mores instituant et sermones emendent. Equidem optime consultum esset hominum vitae, si magis essent trita celebria dicta, nam bene et sapienter dicendo, tandem homines et bene agerent et sapientiores fierent. Nam ad communia obeunda hujus vitae munera studiaque exornanda, suppellex hic offertur locupletissima; quae inservit non solum ad eruditionem captandam, verum etiam, quod longe praestantius est, ad bene beateque vivendum.

L. HENRICUS SANSEGUNDO, O. S. B.
Enrique Granados, 26, pral. 1.^a
BARCINONE in Hispania

TRIA PAULI VI ITINERA MEMORANDA

I

«Sacra Redemptori loca visum, solis ad ortum,
Petri versa retro vestigia prisca secutus,
Mox iter aggrediar, supplex peregrinus adorans»¹.
Paulus ait; super et resonant haec inter ovantes
Huc vectos Patres —revehi rursusque paratos²
Ad varias, ceu pastores ad ovilia, terras—
Dulci Pontificis flatu faustissima dicta.
Orbe fere toto sibi talia quando sub imo
Gaudia senserunt infestae, pectore, gentes?
Exspectans cupide Mahometi gaudet et ipse
Assecla; laetatur, non acer, quisque magister
Judaicus. Christi qui legum jussa recusant
Quique vel exagitant nova, quam laetantur et ipsi!
Est ea festa dies, qua gentes quaeque per orbem³
Divini pueri manifeste numen adorant.
Quam vario fluitant huc aeronavis et illuc
Per vastum campum vexilla colore sub auris!
Italiae signum tricolor niveumque susurrans
Pontificum croceumque simul concinnat eandem
Navem. Cum, quasi quae per somnia, forma videtur:
Aeriae navis, quadruplex quam machina pellet,
In vacuo stat, habens fastigia, sicut imago,
Se circum —super est et amictus veste decora—;
Ipse: simul cunctos amplexus, bracchia tendit,
Urbi dum sacro gestu benedicit et orbi.
Hic, turbae spatium resonat sic plausus in amplum,
Cui gravis aligeræ navis motorius obstet
Vix strepitus. Per planitiem mox inde patentem,
Ut pelagi, turbae quasi sic undantibus ulnis,
Tangere jam navis caelum, ceu stella, videtur,
Ocius et se tum sub opacas abdere nubes.

1. *Versa retro*: Petrus, ab anno XLII ad annum LXVII, ut Joannes Cuspi-
nianus ex «Catalogo Liberiano» (a papa Liberio I, a. CCCLIV p. Chr. scripto)
accepisse dicitur, Romae moratus est, a Palestina profectus; Paulus VI, e
contra, ab Urbe in Palaestinam iter est aggressus.

2. *Patres*: Antistites, cujusque generis, qui in Petriana Basilica iterum
aderant ad alteram Concilii Oecum. Vatic. II sessionem explendam.

3. *Festa dies*: «Epiphania» vel «Theophania», e graeco fonte.

Quam primum, leni gyro, quasi cochlea, circum
 Velivolum versum, Jesu labetur ad ipsa
 Sacra Palaestinae patriae loca. Saxa viarum,
 Anfractus videas, glaucas patulasque lacunas;
 Planities videas steriles montanaque adusta;
 Quam Christi loca pervigiles memoresque tuentur,
 More, fide variae, similes nec origine, gentes!
 Siste gradus et calceolos hic solve, viator:
 Nam, nullum lapidem tanges, quem Sanguinis Ejus
 Guttula, sudoris vel non infecerit ulla;
 Nullum, quo super, ut vagus ipse vel inscius, instes,
 Praeconis fidei vestigia prisca recensens
 Et pedis et baculi. Bethlemica moenia servant,
 Queis jacuit Puer in lutulento stramine, cunas:
 Quantum pro nobis redimendis vagiit Ille!
 «O praesepe luto maculatum —Dalmata dixit—⁴,
 Quo magis argento pretiosum! Nonne salutis
 Auctorem tetigit?» Domus haec, ubi cepit ab ore
 Jam Gabrielis «Ave», quo Virgo, Deipara nutu
 Flamini, igne fuit divino tacta Maria:
 Nazara vicus egens est, at sine labe puella.
 Hortus Gethsemani viret hic, ubi sanguine sudans,
 «Transeat iste calix!» est Christus triste precatus.
 Hic Solymam videas urbem, monumenta ubi summo
 Cum studio, priscae sicut suae originis, omnes
 Christiadae, sic sacra suae pietatis, honorant:
 Illud praecipue, vero, quo convenit orbis
 Undique turba, frequens Christi peregrina, Sepulcrum.
 «Corpus aves aderunt!» jam vivus dixerat Ille⁵.
 Longius ast abeam, si tot speciosa locorum
 Signa velim, demum, memorantia mira, referre.
 Vix tamen haec teneor quin dicam, digna videri
 Quae magis ipse putes: haec prodigio inclita Cana:
 Per Jesum fit lympha merum, dum nuptiae aguntur;
 Bethaniam vicum videas: hic, lumine cassus,
 Lazarus in superos rediit. Majora Capharnai
 At Jesus solvit, mandata paterna revelans.
 Ecce Tiberiadis lacus: en Bethsaidos alma
 Tellus; hic lintrem Simon ac rete relinquens,

4. *Dalmata*: Hieronymus; v. Dom. Morin = «Anecdota Maredsolana», III, 2, p. 393 sq.: «... tulimus luteum et posuimus argenteum; sed mihi pretiosius illud est, quod ablatum erat.» (in «Miscellanea Geronimiana» — tip. polig. vat. 1920 — Praefact. p. V).

5. *Corpus*...: ad significandum Christicolas per saecula celebraturos Sepulcrum; v. Math. c. 24, v. 28: «... ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.»

Primus alumnus init Jesu, cognomine Petri,
 Munus apostolicum; simul hic, ex prodigio auctis,
 Flumen Jordanum prope, paucis piscibus assis,
 Millia multa videt saturari numine Jesu.
 Cetera per te comperias; nam scripta redundant.
 Nonne prius memorem Crucis, hic, immane cruentum
 Supplicium pansumque polum, quam solvere carmen
 Festinem? Duo sunt monumenta perennia: nullum
 His venerabilius: Tabor hinc, hinc Golgotha collis⁶:
 Hoc iter, eia, Pater, capias! Te prosequar optem;
 Quod si non liceat, pacis Tu sume precantum
 Omina laeta: Dei Tibi praestet dextera, Paule!
 Ingrediaris iter, Pater! Ut lustrare placebit,
 Alter ab excelsis rediens idemque triumphans
 Christus, tot loca, quam vario distincta tapete,
 Floribus atque vias ornatas! Lilia plenis
 Desuper e manibus det clamans plurima turba:
 «Nomine qui Domini venit, is benedictus adesto!»

II

Oceano patet in medio paeninsula magna,
 India dicta: Arabum maris hinc, ubi litora frangit⁷,
 Gangetici inde sinus furiosus fluctuat aestus⁸.
 Venator tigrum magis exquisita per orbem
 Nusquam lustra petit. Si quis, piscator, inanes⁹
 Squamigeris paret insidias, sibi plura vicissim
 Fata parat. Species passim pulcherrima rerum
 Naturae variae simul exstat et artis opimae¹⁰:
 Vestit luxurians rugosaque silva superbos
 Abruptos montes; segetes dat provida tellus;
 Hic rapido cursu fluvii labuntur ad ima,
 Numina relligio quos semper honorat ab aevis.
 Hic exesa deos servat praeruptaque rupes,

6. *Tabor*: ubi transfiguratus est Jesus; *Golgota*: ubi crucifixus est.

7. *India*: Diebus II-V m. decemb. a. MCMLXIV a Cardinali Valeriano *Grazias*, *Bombayae* Archiepiscopo, *Indiam* Paulus VI invisit XXXVIII Congressum *Eucharisticum* celebrantem.

8. *Gangetica* regio semper fuit a veneratoribus celebrata ob praeclarum *tigrum* genus.

9. *Piscatores* crebro pericula obeunt, cum finitima maria cetibus infestentur.

10. In artis historia cujusque aetatis cernenda, non exiguum locum obtinet *India*, ob varias ejus species, ob mirabilem aedificiorum, praesertim templorum, construendi formam, exquisitissimam postremo conficiendi operis rationem.

Quorum sub rictu fanaticus ecce videtur
 Corripi in ima soli. Supera sed luce coruscant
 Tempa sub arce poli, firmis innixa columnis;
 Sub solis radiis et concava tecta refulgent
 Aurea; stant et item fulvo fastigia sculpta
 Ex auro; simulacra gravi stant mole sub aethra.
 Nil mirum, sodes, quin advena jure stupescat,
 Imperii tenuit per saecula fabula gentes
 Suavibus, at fatuis, vinclis, divinitus orta:
 Caelesti nam stirpe viros coluere creatos
 Quosdam de reliquis obscuro semine natis.
 Istos ex ima plebis quasi faece rebantur,
 Illos praestantes ut adhuc heroas honorant:
 Fatum triste quidem, cum, fonte vel ortus eodem,
 Differat alter adhuc, heu, coetus ab altero in Indis!
 Est etiam perquam discors locupletis egeno
 Conditio; misero quam nobilis ista videtur
 Dissimilis! Quidam pius illic exstitit olim
 Et sapiens, populi defensor, nomine Gandhi ¹¹;
 Pars at eum, qui magnanimus fuit, immo «Mahatma» ¹²
 Appellare solet: studuit nam primus, inermis,
 Restitui patriam; pietatis, pacis et almae,
 Sese despiciens, semper fuit ille sequester;
 Anxius aerumnas populi vehementer abhorrens,
 Saepe famem tolerans, est detestatus iniquas.
 Exitiosa tamen, cujus sors dissona causa,
 Gentis seu genus, est discordia: prima malorum
 Radix, pestis edax, heu, quae nova damna ferebat;
 Quae generosa viri perdebat et inclita gesta,
 Impia donec eum manus atro funere mersit!
 Quo pacto tamen ex animis fugere tenebrae?
 Jampridem fuit ars Christi praeconibus una:
 Vera fides, qua gens humana cohaereat, illa:
 Est crucifixus enim Christus, pro gentibus una
 Cunctis vera salus. Sator oras appulit Indas
 Hispanus deinceps Franciscus ab arce Xaveri ¹³:

11. Vir non communi intellectu ac sapientia praeditus. Patriae populique libertatem non sine suo gravi incommodo vindicavit; miserrimas plebis condiciones in melius reduci strenue monuit. Eum fanaticus quidam inconsulte ac barbaramente interfecit, a. MCMXLVIII, nonum ac septuagesimum annum agentem.

12. «Mahatma»: vulgo, apud Indos, «magnanimus».

13. Franciscus, ex arce dioecesis Pampelonensis «Xaverius» dictus, a. MDVI natus est. A Paulo III pontifice, Joanne tertio, Lusitaniae rege, postulante, in Indiam missus. mirabilia patravit, divino incensus afflatu, maxime quod multa centena millia hominum ad Christum convertit. Obiit in Sanciano Sinarum insula, a. MDLII.

Calceolùm vel egens, Crucis at munimine fretus,
 Immensas illas regiones ipse pererrat,
 Unius Domini praeconis ut ore locutus:
 Aeterni verbi sator, acer et ultor honesti.
 Parcit saepe cibus, quibus impleat esurientes.
 Inque suos artus quam saevit et ipse flagellis!
 En ad eum pauci prius, at mox agmina currunt:
 Tam facili, quamquam vario, sermone redundans,
 Omnes alloquitur, mirabile discipulorum
 Christi sic aevum repetens. Ad amoena reducit
 Pascua tot gentes, jam ne vescantur amaris.
 Luce Dei vera lustrat centena magisque
 Milia sic hominum, mentes animosque serenans,
 Nulla dies prius, aut vesper torquetur opacus,
 Ex Indis alicui quam sacri fluminis, unda
 In Christo dederit sat per baptismum salutem.
 Cum demum caelis positus super astra beatus
 Is fuit, ecce secuta cohors est, major in annos
 Semper et usque premens vestigia certa Xaveri:
 Pro Christo laete graviore passus labores¹⁴.
 Vineae purpureis Christi plerosque racemos
 Uvis inde graves prode: ceu fervida pleno
 Musta lacu, Christi fidei plebs fervet in igne.
 Mox Christi fidei plures sic ignis adurat,
 Qui divina pie recolant Mysteria in urbe
 Bombaya; sacrum plures pluresque frequentent
 Conventum! Fuit et satis hujus amoris adustus
 Flamma Franciscus: miseros sic usque fovebat¹⁵;
 Sic epulis Christi viventis saepius ipse
 Corpore tum saturabat eos sub imagine panis.
 Spiret nunc, Indis coetu coeuntibus uno
 Christicolis istis penitus, ceu flamen in auras,
 Francisci virtus animi! Nunc servet amoris
 Hostia rite suum decus, et sollemnia Petri
 Huic successori a populis nunc sponte parentur
 Publica; ceu Patris haec unius pignora cara,
 Brachia protendant ad Eum, clamore frementes:
 «Ecce Pater! Fidei venit ut peregrinus ad Indos;

14. Per saecula, deinceps, complures sacerdotes in Indiis, Xaverii vestigia secuti, Christifidelium, ad decies centena milia, necessaria animis corporibusque semper suppeditarunt, et adhuc studiosissime suppeditant.

15. Inter sollemnes S. S. Eucharistiae Conventus Sessiones, S. Francisci Xaverii spiret animus!

En, humilis Christi praeco venit, immo minister¹⁶;
 Pontificis munus gerit.» — «Unum cogat ovile
 Vos cunctos, foveat genetrix Ecclesia Romae!
 Nosmet enim quam, filioli, toleratis, egestas
 Triste movet; sed et aerumnae, quibus usque dolantur
 Nunc animi, fidei reprimant num forte favillas?
 Hos ipsos animos Ecclesia, sedula mater,
 Anxia mox reficit; reliquum Deus Optimus addat!
 Summa sic ope jam fuit ille Xaverius usus,
 Indica forte fame ne proles multa periret:
 Id vero Crucis in signo mirabile fecit.»
 His dictis, Ostensorium super, undique, turbam,
 Quae procumbit humi, radians attollit in altum.
 Astat in areola vittis ramisque decora,
 Floribus, aurato quasi lumine margine clausus,
 Paulus. Is, elatis oculis, velamen eburnum
 Rite gerens, bona de caelis en impetrat Indis:
 Queis modo prisca Dei communia vincla supersint!
 Hic uni trinoque Deo totius in ore
 Turbae sic resonat: — Tibi sit laus, gloria, semper! —
 Ut canat hic videas et gestiat altisona una
 Voce popellus: —Io, Pater, unus et auctor amoris,
 Pacis amans, ultor quam justitiaeque fidelis!—
 Et cunctam videas, quasi summos aequoris aestus,
 Alas vel volucrum, protendere bracchia turbam.

I I I

Africa, mancipium venalis inhospita tellus
 Nuper adhuc, rudis et fera tot per saecula dicta,
 Salve! Jam tibi quale novum nunc incipit aevum!
 Quando tamen fidei latices tu, semper adusta,
 Sumere coepisti, vel ad istud volvere tempus?
 Istud ab antiquis multo fecere cohortes
 Sanguine christiadum, quos olim verbere frangi
 (Quam multos!) capite aut plecti jussere tyranni¹⁷.
 Hos fidei fructus submitit sanguis eorum,

16. Novus missionalis, et is apostolicus, Paulus P. P. VI, S. Francisci aliorumque missionalium vestigia secutus, Indorum, ceu filiorum, animos atque corpora reficienda curaturus venit. Ejus apostolico studio, Christifidelium unitatis efficiendae, Deus faveat atque compleat.

17. Centum triginta christicolūm martyrium, impia seu caedes, adumbratur, quorum duo et viginti, cum satis indiciorum compertum haberi potuisset, in beatorum album, postridie nonas junias a. MCMXX, a Benedicto XV Pontifice sunt relati.

Qui valuit quasi semen et hunc ornare triumphum
 Illa perosa fidem nam tempora prisca fuere,
 Cum sacri mystae poenas subiere securis:
 Ista tuam cingunt nuncserta micantia frontem,
 Africa, nunc etiam floresque cruore rubescunt.
 Vos salvete, Patres! Vindemia vestra satisfit:
 De musto, quod fervet adhuc, nos rite bibemus.
 En, inter volitans hinc et brumalia Pauli¹⁸
 Hinc et solstitii Cancrī jam templa vehiculum,
 Afrorum demum mox leniter attigit oram¹⁹.
 Est regio circum per agros, Uganda, feraces
 Ex oriente patens, inter fluviosque lacusque,
 Sole; sonat prope semper aquis hic Nilus abundans.
 Cum glebae frutices tum silvae hic arbor opaca:
 Linifer iste frutex, ille et qui sacchara prodit;
 Haec faba, cujus Arabs succum jam primus odorum
 Expressit; folia hic illic pretiosa tabaci.
 Gens rudis ista, licet de more coacta tributim,
 Rite Deum sibi, non alium, tamen esse fatetur;
 Perpauci nisi parva colant simulacra deorum.
 Gens proba, quam Christi praecones verba serentes
 Et sapientiae et artium ope excoluere bonarum.
 Anxit eam jam multimodis exosa potestas;
 Passa dein tamen est ut, libera, pace fruatur.
 Haec, igitur, plaga, stirps haec excipit undique laeta,
 Sanguis martyrum, eum, qui Jesu nomine venit.
 Expansis manibus, placido sub lumine vultu,
 Cunctos amplectens, astat, quasi marmore sculpta
 Effigies, tunica talari indutus eburna,
 Urbis cum Romae Paulus tum pastor et orbis.
 Conclamat, exultans, piceo subtinctorum colore
 Plurima turba, gerens caesas ex arbore palmas.
 Subridens, alacer, nihil osus, caede recenti
 Ille super lapides incedit forte rubentes,
 Uno consilio fretus: si convicia absint
 Et Christi nova progenies firmetur amore.
 Nam de pace loqui mos est cum labra recludit:
 De stabili, sed non ex foedere pace caduca;
 En loquitur: subito nunc linguis sponte faventes

18. *brumalia... et solstitii Cancrī... templa*: caeli et hiemales et aestivae plagae, inter solstitialem et brumalem circulum, qui ex siderali disciplina, suo quique nomine, et Capricorni et Cancrī appellatur.

19. *Afrorum... attigit oram*: P. P. Paulus VI ad urbem Entelle, quam dicunt, aëroportum, ab urbe principe Kampala triginta quinque milium passuum spatio, pridie kal. aug. MCMLXIX, pervenit, altera post meridiem hora (italice computata).

Omnes ora tenent in Eum, subterque cientur
Cinnati crines, crispantis, ut aequoris undae.
Filioli, in Christo fratres, vos inter amate:
Unus enim fons est, inquit, tramesque salutis;
Omnibus et vobis sit amor lex una suprema:
Ipsius fuit ob legem tam dulcis amoris
Haec insontium humus generoso sanguine sparsa
Divitias tantas Ecclesia dona paravit:
Martyrum opum vos haeredes estote fideles;
Thesaurus potior non agri messis opima,
Non auri fulvi pondus, non aeris acervi:
Una tibi est, Uganda, fides e rebus avitis,
Quae pretiosa manet; jam munus eamque fovendi
Sit tibi, mater amans eademque perita magistra;
Fulgentemque manu teneas, o, pacis amoenae
Taedam, ne pugnas videas flagrare cruentas,
Jurgia sed jam perpetuum componere foedus.
Talia nostra Deo pia nunc incepta dicamus ²⁰:
Spes bona Nos teneat non irrita vota futura.

Prof. JANUARIUS MARINELLI
Via Salvator Rosa, 241
NEAPOLI, in Italia

20. inceptum adumbratur, quo ipse Paulus pacis sequestrem Nigerianis ac Biafranis gentibus, inter se adhuc belligerantibus, esse praesto affirmat.

CONGRESSUS BUCURESTIENSIS DE HUMANITATE ET LATINITATE

—a die 27 m. aug. ad 2 sept. a. 1970—

I. PRAEMITTENDA. — In iis quae in Congressu Romae coacto —a. 1966— vota rataque sunt exoptatur ut Romae, apud Institutum Romanis studiis provehendis, Consilium virorum constituatur, quorum sit futuros congressus praeparare, ac nationem urbemque deligere ubi congressus habendus sit (cfr. *Acta Conventus latinis litteris fovendis*, Romae [1968], p. 378). Hoc autem Consilium —quod inde ab altera sessione, a. 1968, «Collegium latinitati inter omnes gentes fovendae» appellatum est (cfr. *Palaestra Lat.*, 38 [1968] 135)— argumenta quae tractarentur jam ab initio indixit.

Deinde, cum probatum est Congressum Bucurestiis coactum iri, Nicolaus Barbu, bucurestiensis Professor, rem curandam suscepit, et argumenta praeclaris viris detulit exponenda. Ineunte anno 1970 omnia parata ac digesta erant.

II. CONGRESSUS APERITUR. — Itaque, die septimo et vicesimo m. augusti, hora decima, consessus auspicalis habitus est. In conspicuis sedibus coram praesentibus assidebant primarii magistratus rei publicae dacoromanae, publicae Institutionis, Scientiarum et Studiorum classicorum.

Prof. Barbu primus adstantes paucis verbis allocutus est de hoc *humanitatis* Congressu, ac facultatem dicendi Primo rei publicae Ministro Maurer dedit —cujus verba maxime quae laudentur digna sunt—.

Vergilius Paladini, qui personam Instituti Studiorum Romanorum gerebat ac vice Petri Romanelli Praesidis fungebatur, rem nostram —id est Congressum— maximi ponderis esse dixit ad linguam litterasque latinas penitus cognoscendas et in omnes nationes diffundendas; Romae officia memorat; deinde, quae cum Dacoromania necessitudo intercesserit; quae Romanorum in hac terra restent monumenta; deque benigno hospicio gratias agit.

Prof. Casimirus Kumaniecki, vir polonus idemque eruditissimus ac summa dicendi latine facundia ornatus, omnes, praesertim cives alienigenas, salutaturisque amicitiae officia libenter defert. Deinde legati a suis civibus aut ab Universitatibus paucis nos salvere jubent.

III. RELIQUAE SESSIONES. — Secundum ordinem constitutum haec exposita sunt praecipua argumenta et haec sunt oratorum nomina:

1. *De humanitate latina*

—die 28, post meridiem— disputarunt:

Carolus BUECHNER, Prof. friburgensis: *De latina humanitate in dialogo "de legibus"*;

Constantinus GROLLIOS, Prof. thesalonicensis: *De graeca humanitate in libris philosophicis Ciceronis*;

Paulus CSILLAG, doctor budapestinensis: *De jure et humanitate*¹.

Reponentur in Actis —nam oratores praesentes non adfuerunt—:

Guarinus PACITI, scholarum publicarum Inspector: *De latina humanitate*; Alanus MICHEL, Prof. sorbonnensis: *De latina humanitate in libris rhetoricis*; Joannes-Maria ANDRÉ, Prof. divionensis: *De Terentiana humanitate*; A. ALFONSI, Prof. ticinensis: *De graeca humanitate in Catulli carminibus*.

At summus inter omnes eminent Prof. Nicolaus Barbu, qui et continenti alloquio et sub exitu omnium sessionum ad *humanitatem* —summum bonum— exquirendam et percipiendam suaviter et fortiter nos hortabatur.

2. *De latinitatis vi in cultu, litteris artibusque nostrarum civitatum constituendis*

—die 29, mane— de argumento egerunt:

Victor PÖSCHL, Prof. heidelbergensis: *Quid Germania ad latinam culturam provehendam fecerit*;

Wolfgangus SCHMID, Prof. bonnensis: *De Lucretio in germanicis litteris XVIII-XIX saeculis labentibus*;

Joannes IRMSCHER, Prof. berolinensis: *Quantum latinitas, quantum graecitas ad Germanorum culturam provehendam valuerit*;

Demetrius PACURARIU, Prof. bucurestiensis: *Quantum latinitas ad litteras dacoromanas constituendas valuerit*;

Nicolaus BARAN, doctor iasiensis: *De Ovidio in litteris dacoromanis*;

Florinus POPESCU, doctor bucurestiensis: *De humanitate latina apud Basilium Alecsandri*;

Cicero POGHIRC, Prof. bucurestiensis: *De humanitate latina apud Michaelem Eminescu*.

3. *De litteris latinis aetatis mediae et litterarum renatarum*

—die 31 m. augusti, mane— disseruerunt:

Ricardus AVALLONE, Prof. salernitanus: *Quantum latina lingua a media usque ad nostram aetatem floruerit*;

Franciscus BARRONE, doctor neapolitanus: *De litteris latinis aetate media*;

Caelestis EICHENSEER, O. S. B., *Vocis Latinae primarius scriptor: De Germanorum usu mediaevali linguae latinae*;

1. Qui die 31 m. aug., mane, orationem habuit.

H. C. SCHNUR (Arrius NURIUS), Prof. stamfordianus: *De Germaniae latinitate aetatis renatarum litterarum*;

Antonius FREIRE, S. J., Prof. bragensis: *Quantum lingua latina renatarum litterarum aetate in Lusitania floruerit*².

4. *De Vergilii vi in litteris vernaculis constituendis*

—die 31 m. augusti, post meridiem— orationes habuerunt:

Trajanus COSTA, doctor bucurestiensis: *Quantum Vergilius in dacoromanis litteris constituendis valuerit*;

Rudolfus VERDIÈRE, socius bruxellensis Officii scientiarum: *De Vergilio apud Andream Gide*;

Eduardus COLEIRO, Prof. melitensis: *De Vergilii vi in recentibus epicis carminibus creandis*;

Casimirus KUMANIECKI, Prof. varsoviensis: *De Vergilio in litteris polonis*;

Josephus M. MIR, paucis: *Quid nos doceat Vergilius ex disciplina stilistica —proposito quodam Aeneidis exemplo—*.

In Actis vulgabuntur:

Benjamín HIJMANS, Prof. manitobensis in Canada: *De tertio decimo libro Aenedi a Maphaeo imposito*; V. L. da NOBREGA, Prof. in Universitate Fluminis Januarii: *De Vergilio in litteris brasiliensibus*.

5. *De linguae latinae vi in sermonibus vernaculis constituendis*

—die 1 m. sept., mane— dixerunt:

Boris CAZACU, Prof. bucurestiensis: *De latinitate linguae dacoromanae*;

Haralambius MIHAESCU, professor: *De latinitate Europae meridionalis*;

Eugenius DOBROIU, doctor bucurestiensis: *Quid Petronius de latini vulgaris sermonis vi cogitaverit*;

Gustavus BAADER, doctor berolinensis: *Quo modo lingua artis medicinae aevo medio creverit*.

6 *De optimis rationibus linguae latinae docendae*

—die 1 m. sept., post meridiem— de quo argumento disseruerunt:

Constantinus DRAGULESCU, Prof. in Instituto magistris scholarum altius instituendis: *Quibus rationibus, quibus technicis instrumentis docenda sit lingua latina*;

P. CAILLON, doctor: *De lingua latina pueros sex annorum docenda*; de argumento autem generali dixerunt etiam Prof. Boleslaus POVSIC et exspect. Dna. BONJOUR; in Actis vero edentur;

Amadeus PACITTI, doctor romanus: *De optima ratione linguae latinae docendae apud Italos*; Maria HIJMANS, doctrix manitobensis: *Quibus propositis docenda sit lingua latina*.

2. Qui pridie orationem contraxit et dixit.

7. *De optimis rationibus et instrumentis linguae latinae tradendae* [iterum] —die 2 m. sept., mane— disputarunt:

Joannes SPRINCL, doctor: *De conversione in linguam latinam*;

Joannes CROISILLE, Prof. augustonemetensis: *De usu picturae in docenda lingua latina*;

Bruno ARCURIUS, in Legatione italica bucarestiensi Prof.: *Quanti momenti sit nova linguae latinae scientifica Ciceronis aetatis pronuntiatio*³;

Sergius FELICI, in P. Instituto altioris latinitatis Prof.: *De Instituto altioris latinitatis Romae condito*.

Reponentur in Actis:

E. KLUMSKA, Prof. pragensis: *De variis methodis docendae linguae latinae*; Joannes KABRT, Prof. pragensis: *De linguae latinae in studiis naturae usu*; W S. MAGUINNESS, Prof. londinensis: *De novis linguae litterarumque latinarum programmatibus*⁴.

IV. ALIA QUAE AD CONGRESSUM SPECTANT⁵

1. Omnia quam diligentissime jam pridem apparata erant notiis indiciisque datis de itineris suscipiendi ratione, deversorii praesignandi, pecuniae commutandae aliarumque rerum.

2. Verba Primi Ministri rei publicae dacoromanae digna quidem sunt quae memoriae et scriptis mandentur: cujus haec principaliora verba latine conversa:

«His temporibus, cum scientiae progressus technicaeque inventiones maximam amplitudinem adipiscuntur atque maximi ponderis societati hominum provehendae instrumentum *fiunt*, bona humanitatis, quae in operibus litterarum culturaeque Latinarum exprimuntur, semper valent non solum rerum peritis, verum etiam omnibus hominibus, qui beneficiis cultus vitae fruuntur. Inter omnes constat Europae culturam magnamque partem culturae universalis non existere potuisse, si opera culturae litterarumque Latinarum non fuissent, quae summa bona saeculis labentibus maxima vi ad humanae societatis progressum alendum valent.

Opera antiquitatis, quibus lingua culturaque Latinae aetatem degerunt, studia propositaque humana, quae semper valent, exprimunt...

Huc advenistis ut de maximi momenti quaestionibus litterarum culturaeque humanitatisque Latinarum ageretis. Disceptabitis certe etiam de quaestionibus optimae methodi linguae litterarumque latinarum tradendarum, ut haec, maxima vi, summa bona a Romanis creata juventuti transferant... Cum bona Latinae culturae humani-

3. Quam orationem Dr. Tr. Costa coram omnibus legit.

4. Oratores Congressus omnes rogamus ut —si qua erit nominis aut relationis omissio in hac narratione— benigne nobis indulgere velint: quod aut omnibus praesens non adfuimus, aut quod nonnulla prolata sunt quasi ex tempore neque Congressui sociis scripto delata.

5. Suo ordine apponuntur.

tatisque labentibus saeculis fontes [fuerint] ex quibus homines maximi ingenii, populi culturaeque hauserint, certissimum pignus habemus haec bona iura amicitiae inter omnes homines, nullo discrimine adhibito, esse».

3. Primo die, hora septima et dimidia vespertina, omnes Congressus participes invitati sunt ut sese conferre velint ad Domum Centralem Exercitus, ubi a Praesidibus Congressus humanissime excepti sumus. Ibi non tantum gustatoria omne genus, gulae irritamenta, fructus, potiones refrigerantes ac gelatae, vina, solidioresque cibi appositi sunt, sed quod plurimi aestimandum est officia amicitiae inter socios ex imo exprompta sunt, atque in primis ingenua, qua praestat humanitate, nos aliosque multos socios sibi amicitiae vinculo devinxit Prof. Nicolaus Barbu.

4. Sabbato, qui dies fuit undetricesimus m. augusti, paulo post meridiem socii quam plurimi Tomos — quae nunc Constantia dicitur — tramine vecti perrexerunt ut urbis monumenta et locum ubi Ovidius vixit et mortuus est exul. Ibi Prof. N. Barbu societatem dacoromanam, quae *Ovidianum* nominatur, constitutam declaravit.

5. Die 1 m. septembris, hora undecima, Congressus participes invitantur ad Museum pagi invisendum.

6. Eodemque die in Theatro Nationali Comoediae jucundissimi spectaculi festivi fruendi data est facultas, cujus programma describere legentibus gratum fore arbitramur:

Spectaculum festivum in Theatro Nationali, 1 die mensis septembris hora 20 diei.

I. Chorus canentium qui dicitur *Madrigal* scholae cantorum Bucurestiensis, cui praeerit magister MARIN CONSTANTIN, canet:

- | | |
|-----------------------|------------------------------|
| 1. CONSTANZO FESTA | — <i>Quando ritrova</i> |
| 2. TH. L. DA VITTORIA | — <i>Ave Maria</i> |
| 3. ORAZIO VECCHI | — <i>Margarita dai Corai</i> |
| 4. CLAUDE LE JEUNE | — <i>Chanson d'amour</i> |
| 5. TH. DA VIADANA | — <i>Exultate iusti</i> |

Symphonia quae dicitur *Camerata*, cui praeerit magister DUMITRU POP, canet:

- | | |
|----------------------|--|
| 1. A. CORELLI | — <i>Sarabande, Gigue, Badinerie</i> |
| 2. VIVALDI | — <i>Concerto per due violini e archi "L'Ecco"</i> |
| 3. BOCCHERINI | — <i>Minuetto</i> |
| 4. P. CONSTANTINESCU | — <i>Toccata</i> |

II. Theatrum latinum (fragmenta fabularum):

1. Plauti *Rudens*. Agent studiosi classicae philologiae Bucurestienses.

2. Plauti *Miles Gloriosus*. Agent studiosi classicae philologiae Heidelbergenses.
Dominus gregis: *Klaus Reinhard*.

— *Interquiescetur* —

3. Desiderii Erasmi *Senatulus muliercularum*.
Agent studiosae classicae philologiae Bucurestienses.
Dominus gregis: Docens M. NICHITA.
Magister consiliarius: LAZAR VRABIE, scenicus Theatri Nationalis.
Vestimenta et res scenicas invenit atque ordinavit GABRIELA NAZARIE.
Vultus personarum adaequavit fabulis RADU ION eiusdem Theatri.

- III. Grex popularis cantorum ac saltatorum quae «Balada» nuncupatur aget:

1. Saltationes Moldavicas.
2. Saltationem Fagarasiensem.
3. Alaudam (dacoromanice *Ciocirlia*).
Syringe NICOLAE PIRVU, fidibus TRAIAN TIRCOLEA, canent.
4. Saltationem puellarum e regione Danubii.
5. Saltationem quae *Călusul* appellatur.
Moderator cantorum: TRAIAN TIRCOLEA.
Moderator saltatorum: TITA SEVER.
Moderator technicus totius spectaculi erit TRAIANUS ZECHERUS.

7. Die 2 m. sept. hora quarta vespertina, socii praesentes «Collegii linguae latinae fovendae» —qui nunc «Academici» vocantur— de rebus actis paululum disceptarunt ac duce N. Barbu, Congressus Praeside, haec optata seu «vota» confirmarunt atque sodalibus in aula spectantibus detulerunt:

1. Demonstratum est hunc Conventum fuisse vero Conventum *humanitatis latinae*.

2. Quod attinet ad methodos linguae latinae docendae, semper valent et probantur et quae dicta sunt in superioribus Conventibus, et quae dicta sunt in Conventu Bucurestiensi. Quibus speramus fore ut magistri utantur.

3. Quo altius in antiquitatem penetrare possimus, imprimis ediscenda est lingua latina, relictis translationibus (quamquam nonnullae alumnis auxilio esse possunt) ita ut discipuli opera veterum scriptorum ipsa lingua latina legere possint.

4. De pronuntiatione linguae latinae, quae in prioribus Conventibus optata et decreta sunt semper valent et probantur.

5. Tempore quo —die tricesimo mensis augusti anno millesimo nongentesimo septuagesimo— ad monumentum Ovidii Tomis fuimus.

nuntiatum est, moderatoribus Reipublicae Socialis Dacoromanae fa-ventibus, condi Societatem scientificam quae *Ovidianum* appellatur. Academia latinitati inter omnes gentes fovendae favet incepto et ominatur ut omnia prospera et fausta eveniant.

6. Ut alumni diversarum gentium magis magisque latinitate imbuantur, exoptatur ut peregrinationes fiant, quibus vestigia monumentaque romana antiquitatis ubique spectari possint.

8. Tandem, quae ad Congressum spectabant cum feliciter omnia processissent, et completa essent, cena habita in qua plures Congressus socii convenerunt. Cena copiosa et lauta; cibi Romanis fortasse ignoti apponuntur: offellae paniculis aut lycopersicis immissae, botuli regionales, caro vitulina cum tuberculis solani..., mala persica et uvae, potio concreta gelataque, cafeum: quae extrema dum socii gustant ac musica quoque delectantur, fuerunt qui omnium nomine sociis dacoromanis de hospitio et amicitia gratias agerent, de feliciter acta omnibus gratularentur, civibus exteris faustum felixque exoptarent iter et in suos fortunatum reditum; convivas primus allocutus est Prof. Robertus Schilling —qui jam ab initio nostrarum congressionum pro lingua latina viva reddenda fortiter et strenue laboravit ad depugnavit—; quem insecutus est civis salernitanus R. Avallone, qui omnium animos, qua pollet eloquentia et dicendi latine facultate, in se convertit. Nicolaus Barbu, Congressus Praeses, fausta omnibus precatus est, de amicitiae vinculo, de supremo *humanitatis* bono ex imo iterum dixit; et qui haec scribit pauca dicere temptavit —cui bene facitis quod facultatem datis hic verba prolata typis imprimendi—:

Antiqui Romani artifices pontium fuisse dicuntur:
nos quoque eorum nepotuli fortem stabilemque struximus pontem.

Singuli saxum adveximus: pons structus est.

Alterum quasi bracchium in extremam provinciam romanam

— in Hispaniam — protenditur,

alterum vero in has dissitas imperii romani regiones

— in Dacoromaniam — firmiter insistit;

in suprema arcus parte Urbs Roma prostat praecelsa

et per omnes arcus

litteras et humanitatem in terrarum civitates derivat.

Pontem nostrum conspiciamus,

pontem nostrum amemus:

et qui in medio arcu — in centro — praesunt;

artissimo amicitiae et humanitatis vinculo conjuncti permaneamus.

Notissimus est Avennione pons,

nobilissimum nos quoque Bucurestiis ereximus.

Gaudeamus!

Bene omnibus vobis!

9. Insequenti die socii haud pauci aëroplano vecti in superiores Dacoromaniae regiones se contulerunt ubi artis monumenta et monasteria, antiqua litterarum reconditoria, inviserent.

Cum autem Prof. N. Barbu nos in aëroportu humanissime salvere jussisset et amice amplexatus esset, Romam via aëria revertebamur: amicorum circulus cui praeerat Vergilius Paladini ejusque spectata uxor: quos comitabamur Ricardus Avallone, Del Re ejusque uxor, Domn. Entia Colonna, P. Sergius Felici, ab actis Instituti altioris latinitatis, Michaël Angelus Ochoa —qui personarum coetum in Ministerio negotiis exteris hispanis Matrity reget— cum uxore: qui omnes fortuna et Dei omnipotentis gratia in domos et familias nostras redibamus.

10. Finem huic rerum in Congressu actarum narrationi afferimus omnesque participes laudamus quod lingua latina loqui conati sunt. Restant tamen haud pauca quae corrigantur prius quam in librum Actorum componantur; omnes iterum ad benignitatem N. Barbu confugimus.

At, memoria exciderat..., quod sane civibus hispanis nosse gratum erit: Bucurestini Legationis hispanicae Secretarium et consulem Dnum. Antonium Ortiz García nos habere fortuito intelleximus, qui —qua est animi benignitate— Hispaniae cives eo die Congressui participes salutare voluit et quasi patriae osculo amplexari. Igitur eum conveniebamus Dnus. Michël Angelus Ochoa, qui Legatione Algeriana tunc excesserat et ad Ministerium Exterum Hispaniae sese conferbat, cum expectatissima ejus uxore, P. López Caballero, qui personam Universitatis Comillensis sustinebat, et qui haec infra subscribet. Dum autem mensae assidebamus nonnulla de Congressu, haud pauca de regione in qua hospites excepti eramus, multa de patria deque aliis rebus peramice collocuti sumus ita ut sermo noster aliquantum protraheretur. Sed jam labor diei et pondus Congressus nos expectabant, in quod nos iterum immisimus, gratissimam tanti Legati nostri humanitatis recordationem in animo recondentes.

Congressus de humanitate et latinitate bucarestiensis finitus est: multa in mente servamus de benignitate, de hospitio, de intimo in litteras latinas civium dacoromanorum studio, de quadam rerum austeritate, deque aliis: in quibus —saltem— Dacoromani multis nationibus rerum abundantia supereffluentibus exemplo et documento profecto esse possunt.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

HORIS SUBSICIVIS

DE NUMERO PRIMI HOMINIS

De Primo Homine utrum unus sit an multi antequam disputemus, prius oportet solvere quaestionem hanc: Quam ad scientiam pertineat de primo homine judicare?

1) Aliis enim videtur palaeontologiae esse de primo homine judicare. Etenim haec scientia, ut graece sonat, veteres res scrutatur. Cujus methodus est in stratis terrae superpositis per effossionem reliquias rerum inquirere et ex configuratione ossium et natura strati genealogiam et evolutionem cujusque speciei adumbrare. At inter ossa animalium brutorum inveniuntur ossa humana. Ergo ejusdem scientiae est de genere humano judicare ac de ceteris speciebus animalium.

2) Aliis vero videtur theologiae esse de primo homine judicare. Etenim cum creatio ad gratiam supernaturalem, non post aliquod tempus, sed ab ipso creationis initio elevata sit, Deus, sicut angelos a principio aevi in statu gratiae creavit, ita hominem ad finem illius mysticae hebdomadis ipse instituit secundum dispositiones sibi electas. Quae in libro Genesis narrantur. At supernaturalia ratione humana minime possunt inveniri. Ergo solius theologiae est de primo homine judicare.

Sed contra, cum palaeontologia principia sua a philosophia, tanquam a lumine superiore, postulat, ut infra patebit, theologia vero philosophiam sibi in ancillam assumit, ad philosophiam naturalem tanquam ad provinciam mediam, pertinet de primo homine judicare.

Dicendum hoc ergo quod, sicut rationis humanae est de Dei existentia et natura judicare, ita de primo homine. Etenim rationis humanae est de homine rebusque humanis judicare. Qua in scientia includitur haec quaestio: «Quomodo animal rationale, cum sit unum in specie, fit multiplex in substantiis seu suppositis?» vel aliter: «Qualis est inter tot homines et populos, tot generationes et linguas, soliditas et unitas ut species tanta varietate non dissolvatur?» Immo a solutione talium quaestionum multa humana pendent. Et quia natura non deficit in necessariis, necesse est ut ratio humana hanc difficultatem possit solvere.

— Ad primum, respondendum palaeontologiae esse de loco et de tempore primi hominis probabiliter aestimare, non de numero primi hominis certe judicare.

Quod dupliciter probari potest, sive ex consuetudine hodierna hujus scientiae, sive ex natura ejus. Primum quidem, cum haec scientia ex multis animalibus priscis ossa tantum (et quam rara ossa!), invenit, neque de moribus eorum neque de numero potest certe judicare sed ex analogia animalium hodie vivorum conjecturat de animalibus priscis. Quanto magis in distinguendo animale rationali ab animalibus ei simillimis quorum species hodie omnino extinctae sunt. Inde vel voces inauditas finxit ut Pithecanthropos, i.e. Simiihomo, et Anthropopithecus, i.e. Hominisimius, vel aliter sub voce HOMO includit etiam animalia de quibus nullus eruditus aestimat quicquam in eis esse spirituale, ut ille «homo erectus», quilibet recte stat, tamen cerebrum non praebet capacitate dignum qua spiritui jungatur.

— Deinde autem ex natura ipsius scientiae. Nam haec scientia, sicut omnes scientiae quae experimentis utuntur, principia sua non per se judicat, sed a philosophia postulat. Palaeontologistae aliud est palaeontologiam exercere, aliud de palaeontologia ejusque gradu certitudinis judicare. At principia quae a philosophia postulat, non sunt certa, sed tantum probabilia, ut haec quaestiones: «Utrum facere sibi instrumenta sit proprium homini an inveniri potest in aliquibus animalibus brutis?» vel «Utrum animali irrationali esse possit cerebrum ejusdem capacitatis ac animali rationali?», vel immo: «Nonne ante constitutionem generis humani natura varia experimenta tentaverit, quae, homine constituto, cessaverunt?». Quae quaestiones aliaque hujusmodi non ex futura inventionem aliorum ossium poterunt solvi, sed pendent ex meditatione philosophica de natura animalis et de natura animae humanae. Haec philosophia generalis, sicut palaeontologiae principia probabilia dat ad terram et saeculum primi hominis investigandum, ita in se continet, ut infra patebit, iudicium de numero primi hominis.

— Ad secundum, respondendum in constitutione primi hominis, nonnulla vel corporalia ex statu gratiae contracta esse de quibus ratio mera non potest judicare, sicut sexus et mors. Adam enim, non in plena generandi facultate, sed in sexu virili ita constitutus est ut, Heva ex ejus carne divinitus extracta, matrimonium illud primum constitueretur sacramentum amoris divini et gratiae supernaturalis in filiis generandis. Item homo mortem per peccatum consecutus est. Sed quia et sexus et mors jam in aliis animalibus vigeat, ratio humana potest nonnulla de his rebus modo quidem probabili cogitare.

*Utrum primus homo sit unus
an plures?*

Videntur plures esse primi homines.

1) Etenim tanta est hodie varietas figurae, staturae, coloris et culturae inter homines ut difficile credi possit omnes ab uno derivari.

2) Item cum natura ab imperfectis ad perfecta graditur, sic a multitudine ad unitatem. Hinc vidimus coevos nostros, novis ac recentibus inventis adjutos, commercia mutua et necessitudines sociales in annos ita augere ut genus humanum mox, ut speratur, ad unitatem mentis venturum sit. Sicut ergo unitas in futuro speranda est et praeparanda, ita multitudo in praeterito agnoscenda est fuisse, ut ab ea celerius recedamus.

3) Item quod natura et evolutio potuit in terra quadam et saeculo scilicet omnia ad genesim hominis parare, potuit etiam aliis in terris aut saeculis vel etiam aliis in sideribus.

4) Item quia Dei omnipotentis est varietate creaturarum potentiam suam ostendere infinitam.

Sed contra scriptum est

(Act. XVII - 26): «*fecitque ex uno omne genus humanum*».

Dicendum ergo certum esse omne genus humanum ex uno provenisse, eo quod anima humana, cum sit aliquid universale, non potest multiplicari per solam materiam recipientem, sed multiplicatur secundum divisionem certam materiae ab anima humana procedentem, i.e. ex divisione carnis humanae quae voluntati et intentioni novas personas constituendi subdatur. Inde cum parentes procreant, anima quae a Deo huic foetui infunditur, etsi est anima cuiusvis animae humanae aequalis et similis, tamen non est anima cuiusvis hominis, sed anima huic viro hac matre adjuto filialis. Qui parentes in hac voluntate paterna paulo ante conjuncti sunt. Adam vero a Deo consecutus est animam cuiusvis hominis, i.e. animam humanam per seipsam definitam. Cum ergo omnes filii sumus, huic soli congruit, ut proprium, nomen ADAM quod hebraice sonat HOMO.

— Ad primum dicendum est anthropologiae esse explicare quomodo homines sub caelis variis aliisque circumstantiis per multas generationes degentes varie accomodati sunt. At quamvis varii sint, permanet inter eos unitas speciei, ut patet ex matrimonio albi et nigrae, barbari et eruditae, alti et crassae, cet.

— Ad secundum, dicendum naturam materiale ab imperfectis ad perfectiora non per suas virtutes procedere, sed roborata et quasi inspirata influxibus rerum superiorum, quae sunt spiritus in principio a Deo creatae. Sicut ergo Deus a principio creationis posuit spiritus perfectos et materiam perfectibilem ut post diuturnam praeparationem homo ex carne et anima spirituali constitueretur, ita a principio generis humani unum creavit, ut genus humanum post diuturnam multiplicationem, novo Adam duce, ad unitatem caritatis tandem perveniat. Oportet enim finis principio respondeat et in principio praeponatur.

— Ad tertium, dici potest quod primum hominem constitui posse

alio in loco aut saeculo aut sidere quam in quo revera constitutus est. At ubi, omnibus materialibus tandem paratis, anima humana carni adjuncta est, cessavit illa universalis inquisitio naturae materialis qua omnia genera piscium, avium, serpentium, quadrupedum dominum suum exspectabant.

— Ad quartum hoc respondendum quod sicut Deus quae ratio humana fingit monstra non potest facere quia contradictionem implicat, ita non potest facere duas animas spirituales nisi altera vinculo quodam carnis humanae a prima separetur. Quod quidem ad omnipotentiam suam ostendendam tripliciter fecit: extractione, et parthenogenesi. Extractione quidem, cum ex carne Adam adjutorem sibi similem inquirentis Hevam extraxit ut in illo primo matrimonio figura sequentium contineretur totaque prolis humana in hoc divino amoris sacramento deinceps generaretur. Conjunctione autem, quia omnis prolis humana sic procedit. Parthenogenesi tandem, quod est mysterium, cum ex carne Virginis Spiritu Sancto ultra vires humanas generantis, naturam humanam Filii sui aeterni constituit.

Sic patet omnes homines ex Adam derivari neque esse usquam aliud animal rationale extra genus humanum.

DIONYSIUS LEPOUTRE (curé de DURY)
Duriaci prope Ambianum ad Suminam in Gallia
80. AMIENS (France).

B I B L I O G R A P H I A

THUMMER, E. — *Pindar: Die Isthmischen Gedichte*. Band I, Analyse der pindarischen Epinikien. Text und Uebersetzung der istsmischen Gedichte, pp. 207; Band II, Kommentar, pp. 145. — Heidelberg, 1968-1969, Carl Winter, Universitätsverlag.

His duobus voluminibus continetur Pindari Epiniciorum inquisitio recens ab E. Thummer edita cum textu, interpretatione et commentariis. Inquisitione, quae in primo volumine ad paginam 158 protrahitur, agitur de iis omnibus quae de Pindari Epiniciis occurrunt, praehibitis iis scriptoribus qui de hac re praecipue conscripserunt. Post disquisitionem, in primo quoque volumine, sequitur textus graecus atque interpretatio germanica; textus graecus criticis notulis ornatur apprime selectis. Volumen alterum continet uniuscujusque Epiniciorum commentarios, qui magni momenti erunt ad sensum poetae plane et plene intellegendum.

Zetemata: Monographien zur klassischen Altertumswissenschaft, Heft 46 - Heft 49:

BOTERMANN, H. — *Die Soldaten und die römischen Politik in der Zeit von Caesars Tod bis zur Begründung des Zweiten Triumvirats*. Verlag C. V. Beck, München, 1968, pp. 231.

GRAESER, A. — *Probleme der platonischen Seelenteilungslehre*. Verlag C. V. Beck, München, 1969, pp. 117.

THRAEDE, K. — *Grundzüge griechisch-römischer Brieftopik*, Verlag C. V. Beck, München, 1970, pp. 245.

SCHÜTRUMPF, E. — *Die Bedeutung des Wortes "ethos" in der Poetik des Aristoteles*. Verlag C. V. Beck, München, 1970, pp. 147.

Haec quattuor studia, quae recens in serie seu collectione, cui nomen est "Zetemata", ab E. Burck et J. Diller recepta sunt, et uniuscujusque auctoris laudant commendantque peritiam, laborem, exitum, et rei singulae de qua agunt miro modo et scientifica ratione dilucidant atque illustrant. Ut mos est in his operibus, praeter praefatiumculam et auctorum praecipuorum conspectum, auctor rem attente inquirat, fontes investigat et dijudicat, quaestiones varias ad trutinam, ut ita dicam, perpendit et pedetentim exponit usque dum rei argumentum omnino explanatum est. Ita fit ut hujusmodi studia ad pleniorum cognitionem uniuscujusque rei aptissima sint, unde vere et omnino scientifica dici valent. Amplissima ergo laude digni sunt et qui haec studia fovent et qui ea conficiunt.

FRIEDLÄNDER, P. — *Studien zur antiken Literatur und Kunst*. Walter de Gruyter, Berlin, 1969, pp. 703 et 16 tabulae. — DM 92.

Opuscula varia humaniora clarissimi Prof. Pauli Friedländer ad litteras et artes antiquorum spectantia in hoc magno volumine invenies, quae prius in diversis commentariis periodicis

vulgata erant. Eorum argumentum est diversum, sed pars praecipua ad litteras graecas sese refert, in quibus de Homero, de Hesiodo, de Platone disertè agitur. Sunt praeterea nonnulla, et magni quidem momenti, de mythologia, de metrica et musica apud antiquos. Hoc magno quidem volumine memoria auctoris ad posteros vividior perveniet, qui eum clariorem humanarum litterarum cultorem pleno jure praedicabunt.

SCHNEIDER, C. — *Kulturgeschichte des Hellenismus*. Verlag C. H. Beck, München: Erster Band, 1967, pp. XXXI-977; Zweiter Band, 1969, pp. 1180.

Jam prius auctor hujus voluminis in opere cui nomen est "Geistesgeschichte des antiken Christentums" sapientium vivorum admirationem excitavit et plausum ob peritiam in fontium investigatione et rerum investigatarum expositione; nunc iterum hoc novo opere, magnae quidem molis simul ac pondere, amplam sibi laudem et honorem posterorum assecutus est, in eo enim argumentum, nequaquam facile, amplissima optimaque ratione tractat, ita ut omnes qui de hac re prius egerant sine dubio superaverit et ingenti rerum cumulatione et accurata fontium aestimatione aptaque argumentorum expositione. Unde affirmare possumus hoc opus omne tulisse punctum in argumento de quo agit omnesque vicisse scriptores qui de hac re scripserunt.

HIGGINBOTHAM, J. — *Greek and Latin Literature*. Methuen and Co LTD, 11 New Fetter Lane, London EC4, 1969, pp. XI-399.

Graecarum latinarumque litterarum historiae non desunt, cum omni aetate

apud omnes homines cultos semel iterumque edantur plurimae, inter quas nonnullae magni quidem pretii. Cur igitur haec nova editio? Quia revera est vere nova; multa enim differt ab aliis editionibus: in primis quia argumentum unumquodque a peritissimo quoque auctore in re evolutum est; deinde quia simul de litteris et scriptoribus graecis et latinis agitur, eorum inter se momentum comparando; tum quia non per auctores et tempora singula enucleantur, sed genera praecipua inquiruntur, ita ut distincte agatur de philosophia, de lyrica, de elegiaca poesi, de pastoralis, de didactica, de epica, de comoedia, de satira, de tragoedia, de historia, de oratoria, doctrina variis exemplis comprobata, brevique auctorum praecipuorum connotatione; denique quia omnia editores et typographi magna cura ad lectorum utilitatem parare conati sunt. Est ergo haec nova graecarum ac latinarum litterarum historia omni laude digna.

ZIEGLER, K. — SONTHEIMER, W. — *Der kleine Pauly Lexikon der Antike*. Alfred Druckenmüller Verlag in Stuttgart, 1969, 17. Lieferung: *Lycis - Megasthenes* (col. 833-1152); 18. Lieferung: *Megasthenes-Nasidienus* (col. 1153-1584); 19. Lieferung: *Nasidius - Optimates* (col. 1-320).

Parvulum, ita dictum, Lexicon Antiquitatum Classicarum hoc postremo opusculo ad quartum volumen pervenit, cui enixe dant operam viri clariores qui primatum exercent non tantum in Germania sed etiam apud ceteras gentes. In singulis titulis habes praecipua quae ad rem pertinent cum notulis de scriptoribus qui unumquodque argumentum illustrarunt. Est ergo instrumentum omnibus utilissimum qui statim notitias de quacumque

re certiores et altiores comparare volunt.

OLIVIER, J. P. — *The Mycenae Tablets IV*. Leiden, E. J. Brill, 1969, pp. 43.

Brevis hic fasciculus continet nonnullas inscriptiones tabellarum mycenicarum accurate a Joanne Petro Olivier revisas ab eoque translatas et in collectione "Textuum Minorum" in usum academicum receptas, curantibus claris doctis viris, quorum actarius fuit B. A. Van Proosdii. Speciali indice pollet, cujus ope voces singulae facile inveniantur.

VARI, *Quatrième Congrès International pour le Latin Vivant*. Editions Aubanel, Avignon, 7, Place Saint-Pierre, 1969, pp. 248.

Societas, cui nomen est "Vita Latina", anno MCMLXIX Avennionense socios congregavit, ut omnes, conjunctis viribus, simul laborarent ad cultum latinae linguae magis in dies excitandum et promovendum in hodierna babelica sermonum confusione. Cum vero multae obortae sint difficultates ad fines hujus societatis adipiscendos, oportebat omnium animos et conatus adunare ut fructus uberiores percipi possent, praesertim hodie, cum latini sermonis studia multis in regionibus remitti ac paene jacere videmus, idque etiam in clericorum ephebeis et in ipsa Catholica Ecclesia. Voces et orationes, quae hac data occasione in Avennico Conventu resonarunt, in hoc volumine receptae sunt, ut omnibus, adsentibus et absentibus, communi memoriae sint atque incitamento ad omnium conatus et labores promovendos ut pro tanta causa enixe depugnare studeamus.

BIBLIOGRAFIA D'ARCHEOLOGIA CLASSICA. "L'Erma" di Bretschneider, Roma, 1969, pp. 129.

Hoc volumen tantum continet, per varias disciplinas ordinatum, plurimorum operum indicem ad Archaeologiam Classicam spectantium, hac nempe ratione dispositum: ad sculpturam (1-1089), ad picturam (1090-1890), ad architecturam (1891-2921), ad artes minores (2922-3154).

CAZDARU, D. — *Qué es la Lingüística*. Editorial Columbia, Buenos Aires, 1966, pp. 60.

Auctor in hoc fasciculo breviter proponit praecipua quae ad hanc novam disciplinam spectant, ut ea inter ignaros vulgentur; sunt quaedam tamen de quibus philologi adhuc inter se disputant neque quid certum afferre potest.

PIERPAOLI, M. — *Britanni, Germani, Giudei presentati e giudicati da Tacito*. Edizioni Calderini, Bologna, 1969, pp. 75.

Ad interpretationem in scholis fovendam proponuntur in hoc fasciculo in discipulorum commodum fragmenta quaedam Taciti, quibus confirmari potest, quid ipse de Britannis, de Germanis, de Judaeis senserit, praemissis quibusdam notulis quo facilius interpretatio reddatur.

GIACONE, A. e J. — *Virgilio e Orazio. Antologia da tutte le opere*. Paravia, Torino, 1969, pp. XI-222.

NORCIO, G. — *Omero. Iliade Canto VI*, Paravia, Torino, 1969, pp. 89.

FANADA, R. — *Cicerone. Pro Milone*. Paravia, Torino, 1969, pp. 169.

Haec tria opera ephelis destinata, qui in scholis secundae institutionis classicis scriptoribus graecis et latinis dant operam, ita disposita sunt ut ope notularum clarior fiat et argumentum et sensus verborum et rei de qua agitur. Hac ratione auctores illustrantur eorumque interpretatio levior fit et jucundior.

TESTARD, M. — *Cicéron. Les Devoirs. Livres II et III*. Paris, Société d'éditions "Les Belles Lettres", 1970, pp. 199.

Mauricius Testard, clarus in Universitate Lovaniensi Litterarum Latinarum Professor, opus quod susceperat feliciter finit, edendi nempe notissimam illam "De officiis" tractationem, adjecta gallica interpretatione cum apparatu critico et notulis, quibus res majoris momenti illustrantur. Interpretatio fidelis est, clara, consona, fluens, composita, quae interpretem peritissimum praedicat.

ANDRÉ, J. — *Pline l'Ancien. Histoire Naturelle. Livre XXI*. Paris, Société d'édition "Les Belles Lettres". 1969, pp. 173. *Livre XXII*. Paris, 1970, pp. 135.

In libris XX-XXVI Plinius de natura florum et coramentorum agit, plura adducendo quae ad rem pertinent. Librorum XXI et XXII interpretationem una cum latino textu, notulis criticis et commentariis Prof. J. André nunc recens edidit ad multorum hominum utilitatem, eorum praesertim qui disciplinae rerum naturalium dant operam. Est enim Plinius fons praecipuus ubi thesaurus notitiaeque rerum naturalium ab antiquis

scriptoribus graecis et latinis recepta continentur ideoque et ad usum linguae latinae et ad scientiam maxime commendandus.

TESTARD, M. — *Saint Jérôme, l'apôtre savant et pauvre du patriciat romain*. Paris, Société d'édition "Les Belles Lettres". 1969, pp. 242.

Oportunissima est haec Sancti Hieronymi vita hac nostra aetate edita, ut omnes magis in ipsius admirationem excitemur, qui tot tantaque virtutum exempla et documenta nobis tradidit. Auctor curat proponere ea praesertim quae veram tanti viri et scriptoris imaginem reddant, vestigia illius vitae diligenter persequendo et postea (pp. 109-237) ex scriptis ea seligendo quae Sancti Hieronymi vitae et doctrinae magis respondent. Itaque lectores et exemplis et litteris ad ipsius imitationem incitantur.

PELLEGRINO, M. — *Petrus et Paulus Martyres*. Editrice Vita e Pensiero. Milano, 1969, pp. VIII-129.

Michael Pellegrino aliique varii viri Mediolani in Catholica Universitate anno MCMLXVII, in memoriam martyrii Petri et Pauli, undevigesimo recurrente anno centenario, publicas lectiones habuerunt de rebus magni momenti ad Petrum et Paulum spectantibus; quae vero lectiones in hoc volumine editae in multorum commoditatem vulgantur.

STEINER, G. — FAGLES, R. — *Homer*. Prentice-Hall, Hemel Hempstead, Herts, England, 1962, pp. X-178.

Vere immortalem Homerum appellare possumus neque unquam satis de eo dicere aut scribere valebis, etsi tot

tantaque opera ei decursu temporum dicata sint. In hoc volumine XXVI studia continentur majoris vel minoris momenti plurium scriptorum, qui res valde diversas attingunt ad Homerum et ad ejus poemata spectantes; sed omnium studiorum communis nexus et scopus hic unus est; videre quomodo per humanas litteras sensus animusque classicorum scriptorum sensim sine sensu usque in hodiernos scriptores permeaverit.

REUTERN, G. — *Hellas. Urtext und Uebersetzung*. E. Heimeran Verlag-München, 1969, pp. 288.

Momentum hujus operis ex eo patet quod ab anno MCMXL quinquies jam editum est. Continet variorum scriptorum classicorum fragmenta selecta ad Graeciam antiquam spectantia, quae naturam virtutesque hujus populi et singularum ejus regionum condiciones illustrant atque collaudant. Maxima pars fragmentorum ex graecis scriptoribus sumuntur, nonnulla tamen ex scriptoribus latinis; quae omnia graeci populi gloriae luculentum testimonium constituunt. Singula testimonia seu textus graece aut latine proposita, in adjuncta pagina germanica lingua versa apparent. Opus clauditur variis rerum, locorum, scriptorum indicibus.

KALINKA, E. — *Philostratos, Die Bilder*. -. Heimeran Verlag - München, 1968, pp. 524.

Inter varios scriptores graecos qui nomine "Philostrato" cogniti sunt, invenitur Philostratus ille Flavius Lemnius Sophista, Iconum librorum auctor, qui nunc primum in collectione, cui nomen est "Tusculum", magna cura graece et germanice editur. Opus ante bellum omnium po-

pulorum alterum ab Ernesto Kalinka paratum, recens ab Othone Schönberger in germanicum sermonem versum et apprime ordinatum publici juris factum, ut eo uti in scholis superioribus possint et magistri et discipuli. Post amplam et auctoratam praefationem, in qua quaestiones enucleantur quae ad scriptorem et ad opus de iconibus pertinent (pp. 7-83), textus graecus continetur, apparatu critico dilatus, una cum germanica versione (pp. 84-267); commentarii sequuntur seu notulae magni momenti, quibus totum opus illustratur et facile intellectu evadit (pp. 268-478). Postea (pp. 479-488) litterarum ordine proponuntur opera et disquisitiones praecipuae quibus de Philostrato deque ejus hoc opere agitur. Denique (pp. 493-524) icones seu imagines additae sunt ex variis museis seu pinacothecis desumptae, quae diversis argumentis in opere Philostrati tractatis respondent. Opus est haud parvae molis, plenum notitiarum et magnae utilitatis doctrinae.

BIBLIOTECA NAZIONALE: SERIE DEI CLASSICI GRECI E LATINI: Testi con commento filologico diretti da Alessandro RONCONI e Giovanni PUGLIESE-CARRATELLI. Casa Editrice Felice Le Monnier, Firenze, vols. I-VII, 1961-1968.

Non possumus non ambabus manibus plaudere clarissimos professores Alexandrum Ronconi et Joannem Pugliese-Carratelli ob consilium inimum edendi opera classicorum graecorum et latinorum uberrimo commentario ditata, ea praesertim quae difficiliora nostra aetate invenire licet. Septem jam volumina ab anno MCMLXI edita sunt, digna quidem quae magnis prosequamur laudibus. Pauca tamen de singulis proferari.

ALBINI, U. — *Andocide, De reditu*.
Introduzione e commento. pp. 120.

Andocides, orator Atticus, natus anno ante Chr. circiter 440, impietatis accusatus, cum Hermae Athenis dejectae essent, aufugit, dein rediit, sed postea iterum exsulavit. Eum memorant Quintil. 12. 10. 21 et Ammian. 30. 4. 5. Oratio "De reditu" in hoc primo hujus collectionis volumine graece editur, praefatione magni momenti praemissa, in qua multa de auctore et oratione docte disseritur; textus praeterea apparatu critico ornatur et eruditis datur commentariis, quibus melius percipiatur orationis sensus et momentum.

RONCONI, A. — *Cicerone, Somnium Scipionis*. Introduzione e commento. Seconda Edizione, 1967, pp. 160.

Notissimum Ciceronis fragmentum, cui nomen est *Somnium Scipionis*, semel iterumque editum, in altero volumine hujus collectionis receptum est optimo quidem jure, cum de editione agatur magni momenti tum ob meritum praefationis tum ex pondere notularum. Clarus Ronconi Prof. qui tot scriptores de argumento hujus operis novit, ex eis, ut sedula apis, gratos carpsit fructus impigroque labore favos condidit suavissimos, iis omnibus qui hac copiosa et uberrima editione utantur.

ALBINI, U. — *Andocide, De pace*. Introduzione e commento. 1964, pp. 128.

Haec altera oratio Andocidis ab Humberto Albini simili edita est ratione atque oratio "De reditu", de qua supra mentionem feci. Tam praefatio quam notulae sunt omni laude dignae. His duabus orationibus Ando-

cides, scriptor graecus plurimis fere ignotus, amicus forsitan et quasi familiaris evadet.

BARIGAZZI, A. — *Favorino, Opere*.
Introduzione, testo critico e commento. 1966, pp. XII-612.

Opus sane magnae molis magnique laboris ad manus habemus. Colligere in unum opus fragmentarium et dispersum Favorini Arelatensis, illud recte ordinare magnaue commentariorum copia ditare, simul scita praefatione ornare, non nisi magno labore fieri potuit; praesertim cum in praefatione longe lateque disseratur de stilo et lingua Favorini (pp. 27-73), argumento novo quidem et vera difficultate praedito. Verum dico cum assero Adelnum Barigazzi commentatorem nobis praebuisse *Favorini Arelatensis Opera* omni numero perfecta; unde in posterum opus erit ad hanc editionem redire iis omnibus qui de Favorino, sophista et rhetore Arelatensi, aliquid scire velint vel de eo dicere aut scribere. Inter plura testimonia quibus Favorinus magna afficitur laude (pp. 87-135), liceat mihi hic proferre illud quod de eo Gell. XVI, 3, 1 posteris reliquit: "Cum Favorino Romae dies plerumque totos eram, tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus, atque eum, quoquo iret, quasi ex lingua prorsum ejus capti prosequeremur, ita sermonibus amoenissimis demulcebat".

PASCUCCI, G. — *C. Julii Caesaris, Bellum Hispaniense*. Introduzione, testo critico e commento. 1965, pp. 416.

Bellum Hispaniense, breve quidem opus, in "Corpus Caesarianum" receptum, nostris temporibus ea fortuna caruit, quam reliqua opera caesariana obtinuerunt. Jure igitur Joan-

nes Pascucci in illud ingenium laboresque magna cura et patientia intendit, ut nobis reliqueret editionem criticam, quae possit a posteris praedicari. In ea maxime laudandus apparatus criticus, nimia cura et solertia confectus; laudanda etiam praefatio, praesertim caput linguae et stilo hujus operis dicatum; sed maxime laudandi amplii et accurati commentarii, qui opus integrum apprime illustrant et explanant (pp. 111-393). Agitur enim de commentariis non tantum amplissimis, quod saepe vitio vertendum est potius quam merito, sed de commentariis quibus inest multum ingenii, disquisitionis, ardui laboris, quorum ope facilius reddetur textus interpretatio.

MARIOTTI, I. — *Marii Victorini, Ars grammatica*. Introduzione, testo critico e commento. 1967, pp. X-262.

Ut in aliis voluminibus hujus collectionis Italus Mariotti commentator maximas partes tribuit notulis seu comentariis quibus haec nova editio *Artis grammaticae* Marii Victorini ornatur, quin tamen nequaquam neglexerit alias partes operis, praefationem scilicet et textum criticum. In praefatione agit primum de traditione antiqua *Artis* Marii Victorini, de vita ejusque scriptis, denique de codicibus praecipuis in quibus *Ars grammatica* continetur. Textus (pp. 65-96) nitidis typis editus, ad calcem varias offert codicum lectiones et doctorum additiones et correctiones, quae sunt commentatoris curae ac diligentiae testimonium. Post textum criticum (pp. 97-247), notulas invenies, quae sollertiam peritiamque Itali Mariotti aperte praedicant ipsiusque doctrinam atque eruditionem commendant. Opus clauditur indice (pp. 251-260) analitico rerum majoris momen-

ti. Opus igitur omnino commendandum.

LAMACCHIA, R. — *M. Tulli Ciceronis, Epistola ad Octavianum*. Introduzione, testo critico e commento. 1968, pp. X-150.

In editione hujus collectionis textus criticus vulgatur, qui recens receptus erat in editione critica, cui titulus est, PSEUDO-CICERONIS, *Epistu'a ad Octavianum* (Centro Studi Ciceroniani, A. Mondadori ed., Roma, 1967), quae ab ipsa Rosa Lamacchia accurate paratum erat. Haec nova editio maxime commendatur praefatione et commentariis. In praefatione primum agitur de occasione, aetate, momento hujus epistulae; deinde de stilo et divisione ipsius; postea de rebus quae in hac epistula continentur; denique ampliore ratione de duplici traditione manuscripta et de praecipuis codicibus in quibus continetur. Commentarii, quibus haec nova editio ditatur (pp. 51-135), ad normam hujus collectionis, amplioribus notulis colligunt ea omnia quae ad rectam interpretationem epistulae et ad illustrationem personarum, locorum, factorum, sententiarum maxime praestant. Unde, ut prius allata volumina hujus novae collectionis, hoc postremum volumen omni laude dignum praedicandum putamus.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

LONGO, V. — *Aretologie nel mondo greco. I Epigrafi e papiri*. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, Univ. di Genova, 1969. Pag. 187. L. 4000.

Vincentius Longo hoc volumine textus illos per litterarum graecarum dicionem dispersos, qui ad "aretologiam" vulgo appellatam spectant, se-

dulo colligit. Cum tamen quamplurimae essent de origine, natura formae aretologiae quaestiones, primum sibi proposuit auctor haec omnia in introductione pertractare: 1. Il concetto di aretologia (p. 11-34), 2. Limiti del concetto di aretologia (p. 34-56).

Non nullis de re monitis praeibitis siglisque communiorum operum explicatis, textus graeci de Asclepio, Serapide, aliis diis, diis sine nomine, regibusisque magis, larvis prostant. Quo finis ab auctore operi imponitur, ubi inscriptiones et papyri de aretologia inveniuntur, textibus qui traditione manu scripta ad nos pervenerunt in alterum volumen destinatis.

Bo, D. — *A. Persi Flacci Saturarum liber*. Ed. Paravia, Torino, 1969. L. 2300. Pag. XXXVI-175.

Corpus scriptorum latinorum Paravianum novo ornatur volumine quo in lucem editur A. Persi Flacci Saturarum liber. In hac editione ex aedibus Io. Baptista Paravia et Sociorum prolata, primum praefatio praemittitur luculentissima de Persi saturarum codicibus et de eorum ratione, de Vitae Persi codicibus, de Persi vitae et saturarum commentario, testimonia inde veniunt vetera de Persio poeta, conspectus Persi codicum prostat, librorum conspectus datur qui ad Persium ejusque saturas pertinent, Persi editiones praecipuae memorantur commentationesque quoque praecipuae: deinde Vita A. Persi Flacci de commentario Probi sublata offertur: denique saturarum sex textus latinus apparet profusis eis scitis annotationibus omne genus illustratus brevique apparatu critico instructus. Utilius reddunt opus indices nominum propriorum atque vocabulorum.

GUAGLIANONE, A. — *Phaedri Augusti Liberti Liber Fabularum*. Ed. Paravia, Torino, 1969. Pag. XXXII-199. L. 2500.

Quem recensuit librum Prof. Antonius Guaglianone legendum tradimus lectoribus; quorum si manibus versare interest, en eis omnia quae in eo tractantur: Praefatio (p. VII-XXV) praemittitur, ubi de Phaedri codicibus erudite agit auctor. Conspectus sequitur editionum quae praecipue laudantur atque animadversionum commentationumque conspectus alter (p. XXVI-XXXII). Quibus rebus tractatis, Phaedri Augusti Liberti librorum quinque fabularum textus latinus prostat apparatu critico exornatus, appendice *perottina* quam dicunt adjecta (p. 3-113). Demum opus finitur indice nominum, indice omnium verborum quae vera exstant Phaedri concordantia, indice fabellarum per unumquemque librum digestarum.

LENZ, E. W. — *P. Ovidi Nasonis Ars Amatoria*. Ed. Paravia, Torino, 1969. Pag. XX-131. L. 1800.

Cum editio haec in primis critica videatur, auctor nulli pepercit curae ad textum latinum rite constituendum atque stabiliendum. Quapropter codicibus fretus novissimis, qui superiores auctores nondum reperti praeterierunt, in praefatione erudite rem pertractat; quorum codicum conspectus eorumque et nomina et sigla dantur cum notitia fragmentorum, excerptorum, florilegiorum. His scite pertractatis, E. W. Lenz Artis Amatoriae librorum trium textum latinum nobis offert apparatu critico instructum. In appendice, quo volumen finitur, non nulla corrigenda in lucem prodit auctor, quae ad Remediorum editionem anno 1965 in Corpore quoque Para-

viano vulgatum spectant, ut non nullis ea erroribus liberentur correctionesque aliae addantur.

DROWER, S. M. — *Syria c. 1550-1400 B. C.* Cambridge Univ. Press. Vol. I-II. Pag. 65 et 65.

Fasciculi duo quos critice recensimus caput decimum corporis cui est index "Cambridge Ancient History" constituunt. In prima hujus decimi capituli parte historia Syriae saeculi sexti exploratur, ubi maximum habuit momentum necessitudo atque commercium cum Aegypto, Kasitis, ceterisque populis finitimis. In altera parte seu fasciculo, qui ut superior sexaginta quattuor etiam paginis constat, accuratissime perspectis explorationibus quae in regione El-Amarna sunt peractae, res tanti momenti investigantur ut bellum, societas, commercium, industria, religio, artes, litterae. Praeter brevem bibliographiam universam in paginis 45-65 per amplam librorum operumque notitiam S. M. Drower dat ad caput hoc decimum melius illustrandum.

HUXLEY, H. H. — *Corolla Camenae.* University of Victoria, British Columbia, 1969. Pag. 71.

Prof. H. H. Huxley anno jamjam MCMLXIII in lucem vulgavit anthologica carminum latinorum minus usitatis metris compositorum, quae "CARMINA: MCMLXIII" ipse inscripsit; cum optime anthologica illa ab omnibus suscepta essent atque probata, novis excerptis floribus frui in praesens possumus. Hoc pulcherri- mo volumine H. H. Huxley sexaginta septem carmina colligit latina quam plurimum aetatis nostrae scriptorum cum accurata quoque anglica interpretatione. Non nulla tamen carmina ab

ipso H. H. Huxley exarata sunt atque non nulla etiam auctorum graecorum sunt conversiones. En parva anthologica quibus et linguam latinam patet et poemata latina optima ad sensa et cogitata hodierna communicanda nostris hisce temporibus esse instrumenta.

PETRUS, J. — *A la découverte de l'Antiquité.* Ed. Fernand Nathan, 1969, Paris. Pag. 125.

Ante oculos habemus librum quem in operibus rerum historicarum divulgandarum numerari oportet. Gratulemur igitur auctoribus et editoribus quod tam pulchello volumine nos donarunt. In eo, enim, vividissimo dicendi genere, quam plurimis imaginibus colore depictis ac photographis, praecipua historiae, cultus, monumentorum, institutorum in memoriam nostram revocantur quibus nos homines exculti efficiendi historiae antiquae ope adjuvemur. Aegyptii, Babylonii, Sumerii, Assyrii, Hebraei, Cretenses, Phoenices, Graeci, Romani, Barbari e tenebris quasi historiae excitantur hoc libro qui pueris praesertim et adolescentibus in deliciis erit.

GUNTHER, J. — *Jules César.* Ed. Fernand Nathan, Paris, 1969. Pag. 157.

SOROKINE, D. — *Champollion et les secrets de l'Égypte.* Ed. Fernand Nathan, Paris, 1969. Pag. 157.

Officina libraria F. Nathan Lutetiae Parisiorum corpus seu collectionem habet ubi vitas clarissimorum virorum in vulgus edit. Primum quod recensemus volumen haec de Caesare habet: Caesar et piratae. Urbis Roma Caesaris aetate. Caesaris familia. Juventus Caesaris. Prima arma. Res publica romana. In arena rei publicae

Pompeius, Crassus et triumviratus. Caesaris legionarii milites. Alea jacta est. Bellum civile. Cleopatra. Ultima proelia. Caesar Romam redit. Idibus Martiis. Caesaris hereditas. Per haec omnia capita Caesar vivide revocatur cum dicendi genere tum imaginibus pictis quo volumen exornatur.

Altero volumine vita clarissimi aegyptologi Champollion qui hieroglyphos interpretari assecutus thesaurum antiquissimi cultus reseravit enarratur. Qui sapientis investigatoris Champollion vitam legere incipiet jucundissimo uno tractu absolvet quae insequuntur capita: Une vocation. Du lycée à l'académie. La pierre de Rosette. A Paris. Etudes et obsession. Professeur à Grenoble. Les caprices de l'Histoire. L'Empereur et le savant. Avant et après Waterloo. Le suspect. L'exile. Le malade. Nouvelles menaces. La découverte. Le triomphe. Voyage en Italie. Enfin... le pays des pharaons! A la découverte de l'Egypte ancienne. Une fin prématurée.

NORBERG, D. — *Manuel pratique de latin médiéval*. Ad. Picard. Paris, 1968. Pag. 212.

En quartum volumen corporis ab officina libraria J. Picard editi sub indice: "Connaissance des Langues", linguae latinae mediaevali dicatum. Prof. D. Norberg breviter historiam linguae latinae enarrat jam inde ab extrema imperatorum aetate usque ad linguam latinam post annum 1000 medii aevi. Deinde Prof. Norberg textum latinorum seriem colligit interpretatione francogallica illustratam: textus seliguntur ab oratione quadam sancti Caesarei Arelatensis usque ad Hugum Genabensem, annalibus Salernitanis non nullisque sequentiis magis cognitiss in historia linguae latinae medii aevi in serie inclusis. Et

textum et interpretationem commentarium quorundam verborum comitatur, ut discrimen inter linguam latinam classicam et mediaevalem pateat. His anthologicis non desunt neque fragmenta carminum neque solutae orationis rhythmicae neque solutae orationis ad narrandum usitatae.

SCHMITZ, A. — *La première catilinaire de Cicéron*. Ed. De Sikkel, Anvers, 1969. Pag. 67.

Lectoribus praebemus opusculum quod verum nobis videtur exemplum in praeparando pro scholis textu quodam scriptorum latinorum. Primum introductio praemittitur, ubi fontes antiqui revocantur atque selecta bibliographia, de partibus rei publicae agitur, de Cicerone ejusque philosophia politica, de re catilinaria. Deinde textus latinus insequitur; textus quoque additicii latini et francogallici adjunguntur quibus negotium catilinarium illustratur. Utilissimum ducimus "Glossarium", ubi quaedam voces quae definitione sociali indigent, explicantur. Denique primae Catilinae exstructuram logicam investigat auctor, addito conspectu graphico totius orationis ciceronianaе.

VFRDIFR, R. L. — *Initiation au latin*. Ed. Hatier, Paris, 1969. Pag. 80.

Difficile tam paucis paginis plura dicere atque copiosiora, cum quis ad ingrediendam linguam latinam ducere alumnos velit. Opus prorsus novum ad rationem viamque docendi quod spectat. Prima fasciculi parte auctor demonstrare contendit linguam francogallicam filiam esse latinae sororemque multarum linguarum europaearum. Secunda autem parte indoles linguae latinae cum francogallicae comparatur. Tertia demum pars quas-

dam offert lectiones quae in univ-
sum ad historiam, vivendi genus, in-
stituta, artes attinent. Praeter alumni
librum alius professori commodatur,
ubi non nulla inveniuntur ad singula
capita enucleanda atque explicanda.

ANDRE, J. — *Ovide: Tristes*. Société
d'Édition "Les Belles Lettres",
Paris, 1968. Pag. LII-176.

Est cur gaudeamus hoc novo volu-
mine a societate "Les Belles Lettres"
edito quo corpus ovidianum locuple-
tatur. Haec in primis editio textuali
indole eminet; interpretatio vernacula
plane elegans et accurata omnino no-
bis arridet, dum annotationes, quam-
vis opportunae, nimis forte videntur
breviores. Introductio omnibus proba-
bitur cum plurima ad bene intellegen-
dum Ovidium tractentur: quare in
exilium missus sit, qua poena sit poe-
ta relegatus, quo tempore Roma dis-
ceserit, quod habuerit iter, quo pac-
to Ovidius Tomis sit conversatus, quo
modo quibusque conscripserit *Tristes*.
Manu scripta tandem investigat auc-
tor primi, secundi tertiique ordinis
atque archetypum simul atque prae-
cipuas *Tristium* editiones. In extremo
volumine utilis nominum index nec-
non tres chartae geographicae pro-
stant.

BOELLA, U. — *Lettere a Lucilio di
Lucio Anneo Seneca*. Ed. U.T.E.T.,
Torino 1969. Pag. 1039. L. 9000.

Officina libraria U.T.E.T. mag-
num exegit monumentum quo memo-
ria Senecae perseveret hoc volumine
Litterarum ad Lucilium italico sermo-
ne conversarum. Volumen omnibus
quamvis exquisitissimis criticis proba-
bitur; introductio enim in mundum

Senecae nos manu quasi ducit, ubi cor-
dubensis scriptor litteras exaravit;
non nulla praecipua fuse eruditeque
tractantur, quae ad rem pertinent qui-
busque viginti Senecae libros expli-
centur atque illustrentur. Quid vero
de interpretatione? Prof. Boella, quan-
tum fieri potuit, fidem textus lati-
ni studuit religiose conservare eam
scite componens cum vivido genere
dicendi, ut Senecam saepe interpreta-
tu difficilem eleganti hodiernaque
lingua italica nobis redderet. Paucis
verbis, en opus quod laudibus sum-
mis extollatur dignum existimamus
lectoribusque jure meritoque com-
mendamus.

LEVI, M. A. — *L'ellenismo e l'ascesa
di Roma*. Ed. U.T.E.T., Torino,
1969. Pag. 494. L. 6000.

Meritum M. A. Levi in eo est ut
quaestionem historicam hellenismi
(venia sit insolenti verbo!) ejusque
cum Roma necessitudines hodierna ra-
tione iudicioque retractaverit. En ti-
bi totius operis index: I. L'ellenismo
eurasiatico. II. L'ellenismo egiziano.
III. Il "sistema" ellenistico. IV. Una
nuova potenza nel Mediterraneo cen-
trale. V. Le guerre puniche e la nuova
situazione mediterranea. VI. Il mon-
do romano-italico e il Mediterraneo.
VII. Roma e l'Italia, da Silla alla
morte di Cesare. VIII. La trasforma-
zione del mondo classico sotto il do-
minio romano. Quae omnia capita si
legeris, quantum Romae — quae ul-
tima quasi hellenismi sedes exstitit—
fuerit momentum in divulgando atque
fovendo cultu hellenistico per orbem
terrarum intelleges. Opus aestimamus
utilissimum cum archaeologis tum ex-
cultis viris qui sese in hellenismi his-
toria initiare velint.

COLMARINO, T. — BO, D. — *Le opere di Quinto Orazio Flacco*. Ed. U.T.E.T., Torino, 1969. Pag. 598. L. 6000.

Quibus Venusinus poeta in deliciis est, magnopere celebrabunt hanc nitidam venustamque editionem. Non nulli tamen praefatio, quae in limine voluminis praemittitur, nimis forsitan brevis videatur, sufficiens autem ut Horatii vita, juvenilis ejus institutio, ingenium, opera eorumque in litteris latinis vis ac momentum in memoriam recentium hominum revocentur. Utilis sane nota bibliographica, necnon et editionum criticarum et editionum quae commentariis sunt instructae et scholiorum notitia. Ad interpretationem vernaculam quod attinet, paucis verbis iudicium promere audeamus: accurata, vivida, elegans, Horatio jure digna, adeo ut Venusimi lectio expeditissima fiat atque simul jucundissima. In extremo opere index nominum propriorum utilis prostat lectoribus.

PALADINI, V.-CASTORINA, E. — *Storia della letteratura latina*. Edizioni Scolastiche Pàtron, Bologna, 1969. Pag. 535. L. 2600.

Cum Prof. V. Paladini et E. Castorina hoc volumine scholasticis adiumentum ad praecipua litterarum latinarum cognoscenda offerre volunt. Quae autem praecipua non chronologicis neque biographicis ceterisque factis circumscribuntur, sed praesertim quibusdam lineamentis historicis, ubi pateat quo modo homines cogitata evolverint eademque certis dicendi generibus lapsu temporum expresserint, quibus mediis maximorum scriptorum opera ad manus nostras pervenerint, qua interpretatione ad quaestiones chronologicas criticasque

quod attinet scripta litteraria tractentur. Quae omnia auctores attingisse hoc volumine existimamus IX saecula historiae litterarum latinarum dividendo in viginti temporis spatia quae non tantum litterariis verum etiam politicis ac socialibus condicionibus respondent.

CALPOLI, G. — *Cornifici Rhetorica ad C. Herennium*. Casa Editrice Prof. Pàtron, Bologna, 1969. Pag. XII-498. L. 7400.

Maximas Prof. G. Calboli gratias habemus quod in lucem vulgavit opus quo "Rhetorica ad C. Herennium" subtiliter eruditeque retractatur. In introductione auctor quaestiones exponit philologicas, litterarias, historicas: de Rhetoricae scriptore, cui destinetur, de tempore quo exarata sit, de indice seu titulo operis, de condicionibus et adjunctis rhetoricis, de philosophia auctoris ejusque in re politica studiis, de doctrina figurarum in Rhet. Her. deque quattuor librorum analisi. Annotatione critica, quam Calboli vocat, siglorum conspectus variaeque lectiones codicum continentur. Textus latinus pag. 95-203 et commentarium pag. 208-437 voluminis occupant. Extremae paginae exornantur bibliographia, ubi editiones, tractatus, lucubrationes praecipuae ad Rhet. Her. spectantes memorantur (p. 441-456). Volumen finitur indice nominum propriorum quae in Rhet. Her. leguntur et indice locorum ab aliis scriptoribus memoratorum. Opusculo separatim edito, quod 113 paginis constat, accuratissima G. Calboli quoque vulgatur interpretatio italica ab eadem officina libraria R. Pàtron typis accurate mandata.

BIBLIOGRAPHIA

MARAÑÓN BAIGORRI, G. — *Las buenas noches a tus hijos*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 388.

Pueros instituere, in primis eorum mentes animosque imbuere veritate, amore, pulchritudine summum videtur officium parentum. Quare G. Marañón Baigorri, paterfamilias indefessusque doctrinae christianae magister, hoc volumine nititur parentibus opes commodare, quibus et cor et intellectum liberorum enuntriant veritatibus sensisque per exempla captu facillima, brevia, vera explicatione doctrinali illustrata mentique puerorum accommodata. Prima pars liberis quinque et sex annorum explicanda destinatur, altera liberis septem et octo annorum, tertia liberis novem et decem, ultima ad institutionem sociale[m] morale[m]que impertiendam liberis undecim et duodecim annorum.

SERER, V. — *Renovación de la vida religiosa*. Resortes psicopedagógicos. Ed. Studium, Madrid, 1968. Página 241.

Plurimae res sunt apud homines quae permixtim usurpantur: aliud est communitas christiana quam aequationis bonorum doctrina; aliud libertas quam intemperantia atque licentia; aliud apostolatus quam studium ad suam religionem convertendi; aliud caritas quam indulgentia; aliud sentiendi facultas quam libido; aliud iustitia quam intolerantia; aliud oboedien-

tia quam servile obsequium; aliud humana quam mundana; aliud colloquium seu dialogus quam altercatio... Quae omnia aliaque quamplurima eaque maximi momenti ad vitam religiosam renovandam spectantia in hoc volumine continentur rationibus quoque psychopaedagogicis hodiernis alti sensus christianij illustrata.

NAFRIA ESTEBAN, A. — *Ritmo*. E. Studium, Madrid, 1969. Pág. 128.

ORDÓÑEZ, V. — *Intenta orar cantando*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 184.

En duo opuscula ad christianam orationem habendam; quorum autem indoles ac via sunt plane diversa. Opusculum A. Nafria Esteban juvenibus in primis destinatur ut sibi materiam ad orandum sumant ex libro qui totum aestum vitae lucemque habet quique "evangelico rhythmo" (unde index "RITMO") pro adulescentibus conscriptus est. Alterum V. Ordóñez opusculum anthologica quaedam videtur carminum ab auctore conscriptorum canticisque jam cognitae usitatis acomodatorum. Quod orandi genus, quo et sensa et cogitata vocis ope exprimuntur, illud auctoris propositum: "Oratio tua quasi canticum" assecutum est.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium	ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	»	14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 169 Tucídides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
- 170 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. IV)
- 171 Tàcit - Annals (vol. V). Llibres XIV-XV
- 172 Aristòfanes - Comedias (vol. I). Els Acarnesos

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA